DISCIPLINARUM LIBERALIUM ORBIS, EX P. CONSENTIO ET MAGNO...

DISCIPLINARVM LIBERALIVM ORBIS, EX P. CONSENTIO ET MAGNO AVRELIO CASSIODORO.

Cui adiecimus, adducti argumenti affinitate, libellos

L. APVLEII Madaurensis de Syllogismo categorico.

CENSORINI de Die natali.

Recens à nobis publicis studijs asserti.

EXCVDEBAT BASILEAE IOAN. BEBELIVS, MENSE AVGVSTO, ANNO XXVIII.

Cum gratia & priuilegio.

CLARISSIMO ADOLESCENTI
Andreæ Zebridouio Polono,
Io. Sichardus S. D.

QVOD ridens tu quidem, nisi tamen fallor ex animo, ac nescio an nõ & iure mirari te dicis patientiam meam, qui tantam ultro mihi in edendis alienis operam sumo, quantã ægrè quisquam alius qui uel sua publico adornet: non est quod aut tibi succenseam Clarissime Zebridoui, aut ob id iudicium in te requiram. Nec enim multò tu aliter, quàm plerique alij, qui tum demũ se egregiè de nostro seculo mereri existimant, si nugis suis omnia oppleant, aliorum scriptis interim tam iniqui, ut præ se totam uetustatem imperitiæ cõdemnent. Quasi tanta sit nostri seculi felicitas, quę in ullo laudis genere uel per summam impudentiam contendere cum uetustate ausit. Nam ut alijs ferè rebus à maioribus longè relinquimur, sic ex tanto temporũ interuallo sua etiã ingenijs damna accidêre. Nunc ergo uelim rationem tecum ineas, debeatur'ne aliqua ei gratia, qui tanto studio ubiq; gentium uenatur, quod studijs adijciat, malens scilicet uerecundè, bonaq; fide aliena exhibere, et hoc pacto ab internitione asserere, quàm impudenter sua inculcare, præsertim in tanto scribentium prouentu. Quamobrem quum nuper in Magni Aurelij Cassiodori incidissemus miscellanea, consilium fuit inde potissimum tanquam è spicilegio decerpere, quod ad cyclicas artes pertineret. Quod et hoc maiore animo sumus aggressi, quò iacet hæc studiorum portio desperatior. Nec

ſumus autẽ ueriti, ne parum dextrè acciperentur, quæ ex autore, quod omnino dicendũ hic eſt, nec elegantiſſimo hauſiſſemus, quum id opellæ donaremus iuuentuti, tum in eiuſmodi uerſaremur rebus, quæ an elegantius tractari queant neſcio: Ipſi ſanè M. Tullio eloquentiæ parenti non eſt uiſum: Id uero quicquid eſt libelli tibi, Clariſſime Adoleſcens, nominatim inſcribimus, uel hoc nomine minus pœnitendum, quod breuitati ſic nos accõmodauimus, ut capita cuiuſq; diſciplinæ contenti fuerimus digito magis indicare quàm tractare: eò quod ex magna parte eiuſmodi ſint, quæ quum à liberaliter inſtituto nõ niſi cum ſumma turpitudine ignorari poſſint, attingenda ea per ætatẽ uerius quàm exhaurienda proponeremus. Si enim Neoptolemo illi Enniano philoſophandum non niſi paucis uiſum eſt: quantò rectius ſic comparandi hoc loco ſunt puerorũ animi, ut dum ætas ſinit obiter quædam in ſe transferant, uſui futura ad id quod quiſq; inſtitutũ uitæ delegerit. Sed fruſtra ego ad te iſta, cuius parietes etiam ijs loquuntur doctiora. Nam quum in eiuſmodi commigraueris domum, quæ optimis exemplis abundet, nactus magni noſtri ERASMI familiaritatem, cuius haud dubiè Muſæ, ſi latinè nunc loqui uellent, ore locuturæ ſint, nõ uulgarem de te tuorũ ſuſtines expectationem, cui ut reſpondeas non eſt quod hic moneam. Vale Clariſſime Zebridoui, & orbem hunc diſciplinarum, quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν uocant, noſtræ in te uoluntatis teſtimoniũ amplectere, & nos ama. Baſileæ, menſe Auguſto, Anno XXVIII.

P. CONSENTII ROMANI VIRI CLARISSIMI de re Grammatica breuissima institutio.

PARTES orationis secundũ Grammaticos octo sunt: Nomen, Pronomen, Verbum, Aduerbiũ, Participiũ, Coniunctio, Præpositio, Interiectio. Ex his duæ principales partes orationis sunt: Nomen, et Verbum, quæ coniunctæ locutionẽ efficiunt. Omne eñ quod mente cõcipimus, nomine explicatur & uerbo. De his igitur singulis nunc dicamus.

DE NOMINE

NOmen est pars orationis rem unã aliquã significan s. Sed ea ipsa quæ significantur, uel Corporalia sunt, uel Incorporalia. Corporalia, uel communiter uel propriè significantur. Communiter sunt, ut homo, mons, mare. Propriè,

ut Cicero, Caucasus, Hadriaticum. Incorporalia sunt, ut pietas, iustitia, eloquentia. Et hæc exceptis deorum nominibus, ferè semper cõmuniter significantur. Nomini accidunt sex: qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus. Qualitas nominum in eo est, ut intelligamus utrũ nomen quod appositum fuerit appellatiuum sit, an proprium. Appellatiua enim nomina à genere & specie manant. Diuisio græca magis sequenda est, quæ fit in primam positionem, & deriuationẽ. Prima positio diuiditur in nomen propriũ, et appellatiuũ, et epitheton. Deriuatiuorũ species sunt nouem. Ergo appellatiuum est, ut homo, urbs, flumen: quia hoc cõmuniter de omnibus hominibus, urbibus, fluminibus intelligitur. Proprium, Cicero, Roma Tyberis. Quia sic intelligimus propria nomina et hominis, & ciuitatis, & fluminis. Et propriorum quidem nominũ diuersa ratio est in his quæ significant q̃d persona est. Nam ea quæ significant quidem quod persona nõ est, ut sunt propria urbium & fluminum, ac montium cæterorum nomina, absolutũ & unius modi habent intellectum. Ea uero quæ personam significant, in quatuor species diuiduntur: Prænomen, nomẽ, cognomen, agnomen: ut est Publius Cornelius Scipio Affricanus. Est ergo nomen proprium prænominatiuũ, ut Publius. Est nomen proprium nominatiuũ, Cornelius. Est nomen proprium cognominatiuũ, Scipio. Est nomen propriũ agnominatiuũ, Affricanus. Si quid super hoc additũ fuerit, ut si addas Aemilianũ, aut Numantinum, agnomini applicabitur. Sed prænomina

nomina

nomina non sine aliqua ratione imponuntur: eademq́ aut una litera significantur, ut P. Publius: aut duabus, ut Gn. Gneus Pompeius: &, Sp. Spurius Cassius: aut tribus, ut Sex. Sextus Roscius: et Ser. Seruilius, Mar. Marius: aut M̄ litera & linea superposita, ut Manius. Idq́ ipsum à nobis nõ etiã à Græcis obseruatur. Nomen autẽ est quod quidem indicat genus, ut Cornelius: Cornelij enim omnes in eo genere dicunt. Cognomen est quo appellatur quis, ut Scipio. Agnomen siue unum siue plura, quod imponitur aut ab animo, aut à corpore, aut extrinsecus. Appellatiua autem nomina, quæ à genere et specie manare diximus, plures differentias habẽt. Nam uel rem corporalem, incorporalem'ue significãt: ut homo, mons, flumen, pietas, iustitia, eloquentia. Vel ad aliquid dicũtur, ut pater, magister. Hęc enim alium intellectum secum trahunt: patre enim dicto, intelligis simul filium: & magistro dicto, intelligas simul discipulum necesse est. Sunt ad aliquid dicta aliter se habentia: ut dexter, sinister, quæ comparatiuum gradum admittunt. Sunt alia gentis, ut Græcus, Hispanus. Sunt alia patrię, ut Romanus, Thebanus. Sunt alia numeri, ut unus, duo. Sunt alia ordinis, ut primus, secũdus. Sed primus de multis, de duobus prior dicitur: Sicut de duobus alterum dicimus, ita de multis alium. Sunt alia specialis qualitatis, sub illa scilicet qualitate, quæ generaliter nomini accidit, ut bonus, malus. Sunt alia quantitatis ut paruus, magnus. Hæc mediæ significationis habentur, & quasi adiecta nominibus, quæ epitheta

Primus
Prior
Alter

appellantur. Atque hæc sunt tantum nomina quę comparationē recipiunt. Atqui in his ferè quidem nominibus qualitas nominū speculatur minutius diuisione facta. Cæterum hæc ipsa uniuersa ad illam qualitatē reuocari possunt, ut aut appellatiua dicantur, aut propria. Præterea sciendum est, quædam nomina esse & propria & appellatiua, ut scropha, dolobella, sura. Item scire debemus quod quemadmodum sunt nomina appellatiua primæ positionis, ut mons, schola, ita et propria, nam Tullius, facit Tullianus. Sunt deriuatiua à nomine, ut montanus, scholasticus. Sunt deriuatiua à uerbo, ut à lego, lector. Item à dico, dictator: à mercor mercator. Quorum hæc est distantia, quod à nomine uenientia in s literam desinūt, ut montanus. A uerbo autem in r literam terminantur, ut lector. Quid regulus? quid bibulus? nonne pro uarietate significatuum sic aut sic dicūtur? deinde gerulus. Ea quidem à uerbo uenientia neutrum genus non faciunt. Sunt etiam diminutiua, ut monticulus, scholasticus. Diminutiua autem non solum à positiuo, sed etiam à comparatiuo gradu interdū ueniunt. Nam ut grandis grandiusculus facit, sic grandior grandiusculus.

Diminutiuorum autem tres sunt gradus, quorum forma quo magis minuitur, hoc plus crescit numerus syllabarū: sed in diminutiuo gradu hoc etiam aduertere debemus, ne forte fallamur, quod sint quædam nomina quasi diminutiua, quæ diminutiua nō sunt, quoniam prima positio eorum non cernitur, ut uinculum, macula, tabula.

Sunt

Sunt præterea nomina appellatiua quæ principa-lia dicuntur, ut iustitia. Sunt item à participijs non dissimilia, ut clemẽs, potens, prudens. Sũt alia uerbis similia, ut cõmedo, palpo, contemplator, speculator. Sunt alia thetica, quæ abusiua uel possessiua dicuntur, ut Euandrius ensis, Agamemnoniæ Misenæ. Sunt alia patronymica, ut Atrides, Euandrides. Hæc & ab auis & à maioribus dicũtur: sæpe & à patribus, nõnunquam à fratribus fiunt: sed illud aníaduertere debemus, quia theticis pro patronymicis uti possumus, & contrà patronymicis pro theticis uti non possumus. Possumus enim dicere Euandrius iuuenis, Palladius ensis: Euandrides dicere non possumus. Hæc utraq; hoc à deriuatiuis distant, quia patronymica & thetica à proprijs, deriuatiua alia ab appellatiuis nominibus ueniunt. Horum patronymicorum masculina aut in des exeũt, ut ab Atreo Atrides: aut in ius, ut à Peleo Peleius: aut in on, ut Nereon Atrion. Ex quibus omnibus modis possessiuũ nomẽ unum tantũ modũ facit, qui in ius exit. Fœminina uero aut in is exeunt, ut ab Atreo Atreis: aut in as, ut à Peleo Pelias: aut in e, ut Euandrine, Nerine, & Adrestine. Quemadmodũ secutus est Lucanus, qui ab Hibera Hiberis deduxit: Quũ occurrat Hiberis, sed & de nominatiuo Hiber. Itẽ sunt nomina homonyma, sunt synonyma, quæ & eadẽ appellant. Homonyma sunt, quæ uno nomine plures res significant, ut nepos, acies, aries. Synonyma uel polyonyma sunt, quum pluribus nominibus singulæ res significantur, ut terra. Eadem enim res dicitur

terra,& humus,& tellus. Item ensis,idem em̃ dicitur ensis,& mucro,et gladius. Illud sanè scire debemus, ne nos ea res fortè confundat, quia plerique Grammatici eiusmodi diuisionem fecerunt,ut alia generalia nomina dicerent,ut corpus,animal: alia specialia, ut lapis, homo: alia propria, ut Cicero. Et licet apud philosophos ita ferè habeat,ut aliud genus, aliud species, aliud propriũ sit, quod Indiuiduum appellant, tamen Grammaticorũ recta ista diuisio est, ut nomina quæcũq; propria nõ sunt,generalia,id est appellatiua dicantur.

DE COMPARATIONE.

Comparatio tres gradus habet:Positiuum,siue absolutum, qui quoniam perfectus est,à quibusdã in numero graduum nõ computatur:ut fortis,doctus. Comparatiuum, à quo gradum incipere dicunt,ut fortior,doctior. Superlatiuum,ut fortissimus,doctissimus. Comparantur ea sola nomina quę aut qualitatem significant,aut quantitatẽ. Sed nõ omnia per omnes gradus eunt: aliquando em̃ positiuus gradus tantum inuenitur, ut mediocris: aliquando positiuus & comparatiuus,ut senex senior:aliquando positiuus & superlatiuus, ut pius, pijssimus. Quod quum euenit,pro secũdo gradu magis aduerbium ponimus. Aliquando comparatiuus et superlatiuus,ut ulterior,ultimus. Aliquando superlatiuus tantum,ut nouissimus.

Negat tamen Cice. recte pijßimus dici.

DE GENERE.

Genera nominũ sunt septem: Masculinum, Fœmininum, Neutrũ, Commune, Omne, Epicœnũ siue promiscuũ, Dubium. Quorum masculinũ

his

his ferè notis deprehenditur: Si sint nomina uirorum, aut officiorum uirilium, mensium, uentorum, fluuiorum. Fœminina uero sunt, nomina mulierum, muliebrium officiorum, urbium, arborum. Neutra sunt nomina fructuũ. Communia sunt, quæ ex pari uiris & mulieribus conueniunt. Omne genus efficiũt numeralia, à quatuor ad centum. Epicœnum genus habent nomina uolucrũ utrunque genus complectentia, ut pauo. Dubiũ genus efficiunt, quæ uariè ab autoribus usurpantur, ut hic aluus, & hæc aluus.

DE NVMERIS.

Numeri sunt duo: Singularis, & Pluralis. Hic aduertet puer, quædam nomina singularem tantũ numerum habere, ut aurum. Quædam pluralem tantũ, ut Saturnalia, & ex magna parte sacrificiorum, festorumque dierum nomina.

DE FIGVRA.

Figura alia est Simplex, alia Composita. Simplex, ut doctus. Composita, ut indoctus. Quidã tamen decomposita inuexerunt nomina, à uerbis nata, ut suffragium, experientia.

DE CASIBVS.

Nominatiuum dicimus casum, quemadmodum eum qui summus est, gradum appellamus improprie, quũ nominatiui sit prima positio, & inde cadant reliqui quinque. De ordine autem casuum adferuntur quædam rationes, ut non fortè nec temere, sed naturali quadam uia hic qui est ordo uideatur inuentus. Ablatiuum casum Græci nõ habent: denique hunc Varro interdum sextum, inter-

dum latinũ appellat: quem rectissime nostri sermo nis usus inuenit, quoniã plurimũ à Datiuo differt: aliud est em̃ dicere, huic rhetori, aliud ab hoc rhetore. Et intantum recte hunc casum additum constat, ut etiam septimũ casum nostri sermonis usus exposcat, qui septimus casus ablatiui formam habet, sed præpositione subtracta. Interest enim plurimum quum dicimus, ab oratore uenio, & oratore magistro utor. Ergo ad intellectum necessarius est hic casus, etiam si à declinatione remotus sit. Plericꝫ etiam octauũ casum putauerunt addendũ, ut dignus munere, mactus uirtute: sed hoc septimo casui annumerandũ nulla dubitatio est. Quædam nomina quum in usu sex casus habeant, declinationes tamen non totidem habent, quo fit ut formæ casuales sint sex: Monoptotos, diptotos, triptotos, tetraptotos, pentaptotos, hexaptotos. Monoptotos forma est, quoties in om̃ibus sex casibus nomina similiter declinant̃, flectiqꝫ non possunt, ut cornu. Diptotos forma est, quoties nomen per omnes sex casus duarum tantum uocum habet mutationem: quamuis quidam dicant diptoton non inueniri, ut Iupiter, Iouis, Diespiter. Triptotos est forma quoties nomẽ in sex casus tribus uocibus immutatur, ut scamnũ, scrinium. Tetraptotos est forma, quoties nomẽ in sex casibus quatuor uocibus immutatur & flectitur, ut stamen. Pentaptotos est forma, quoties nomen in sex casibus uarietates inclinationũ quinquies experitur, ut est caro, Agamemnon, mus, lepus. Hexaptotos est forma, quoties formã per omnes sex casus

uarietas

uarietas declinationis operatur, ut unus, ſolus, nul lus. Sed in his formis hoc regulariter tenere debe mus, quod neutra nomina neque hexaptota, neq; monoptota eſſe poſſint, ferè eñ triptota eſſe poſ- ſunt. Eſt tamẽ nominũ quaſi monoptotos genus, quod neq; per omnes caſus eat, & per quos uadit, unam tantum inclinationem ſeruat. Item regula- riter tenere debemus, quod pluralia cuiuſuis gene ris ſint nomina, neque unius, neq; omnium caſuũ eſſe poſſunt. Vnde ea nomina quæ nullã inflexio- nem, neque numeros, neque genera ſentiunt, apto ta nuncupãtur: ut eſt frugi, nihili, nequam, nugas. De qua forma ſunt omnia nomina literarũ, & no- mina numerorum à quatuor uſq; ad centum: nam ab uno uſq; ad tres per omnes caſus declinantur. Item à ducentis & deinceps, præter mille quod a- ptoton eſt. Nec hæ ſolæ uarietates in omnibus in ueniuntur: nam ſunt quædam nomina quorũ no- minatiuus in uſu non eſt, ut ſi quis dicat, hunc late- rem: nominatiuũ eius nunquam inueniet. Item ſi quis dicat, talis, huius nominis genitiuũ in uſu eſſe nõ perſpiciet. Deinceps ſi diligentius rimetur, in- uenientur per om̃es caſus multa nomina deficere, tamẽ ut nõ per ſingulos, ſed plures caſus deficiãt.

DE ANALOGIA.

Nunc de analogia, & de regulis, de quibus pri ma parte libri huius libauimus, quæ ſunt apta dice mus, ſi prius de differentia harum dixerimus. Analogia eſt quam nos proportionẽ dicimus, hęc quæ ad Grammaticã pertinet, longè anguſtior & contractior res eſt quàm regula. Hæc enim latius

generaliusq; diffinitur. Analogia autem in paucis exemplis similium ratione uersatur, intantum, ut plerunq; etiam in his dictionibus, quæ regulæ nõ seruiant, quæq; sub regulam non cadant, inueniri analogia possit, sicut suo loco demõstrabimus. Ergo analogia nominũ in collatione maxime pariũ est, ut homo, sermo, quæ & similitudine diminutiuorũ, quæ ab his ueniunt, cõsistit atq; perspicitur. Regula autem est generalitate quadam magnam multitudinem nominũ comprehendens, quæ sub eandem rationem cadant. Atq; ipsarum quæq; regularũ, aliæ sunt alijs magis generales, sicut mox apparebit. De regulis autẽ quas Græci canones appellant dicemus, ac prius de his quas ablatiuus casus numeri singularis ostendit: quoniã hæ breuiore quadam uia ad emendationem loquendi sufficere posse creduntur. Omnia nomina ablatiuo casu singulari quinque literis uocalibus terminantur. Igitur per singulas literas quemadmodum similiter sibi per omnes casus nomina quæ ablatiuo fuerint terminata respondeant, quàm breuissime differemus. Quæcunq; nomina ablatiuo casu singulari a litera fuerint terminata, genitiuum pluralem in rum mittunt, datiuum & ablatiuum in is syllabam mittũt, ut ab hac musa, harũ musarũ, his & ab his musis. Quæ regula exceptionem tamen recipit in his nominibus ubi ambiguitas discernenda est. Nam datiuũ & ablatiuũ nõ in is, sed in bus exire necessitas cogit, ut dea, filia, deabus, filiabus, ne deos, non deas significare uideamur. Ea quoq; nomina quæ ablatiuo singulari o litera terminantur

minantur, similitudinem regulæ obtinent superioris: nam & ipsa genitiuum pluralem in rum, datiuum & ablatiuū in is syllabam mittūt: ut ab hoc magistro, horum magistrorū, his & ab his magistris. Quæ & ipsa regula exceptionem quorundā nominum recipit, quæ datiuum & ablatiuum pluralem non in is, sicut diximus, sed in bus mittunt, ut ab hac domo, ab hoc iugero, domibus, iugeribus. Quæ tamen uarietas ex autoritate ueterū declinationis exorta est. Illi enim ablatiuū & ab hac domu, & ab hoc iugere declinabant: quā declinationem secuta est ratio, ut datiui & ablatiui in bus terminentī. Sed euphonia, quæ plus in uocibus ualet, pluralem numerum antiqua ratione retinet, quum declinationē ablatiui singularis abiecerit. Ea uero nomina quæ ablatiuo singul. e litera terminantur, duplicem formā obtinent. Nam si producta e litera fuerit, in rum mittit genitiuum pluralem, datiuum & ablatiuum in bus, ut ab hac specie & reliqua: Quæ regula generis tantū fœminini dicitur. Quod si e correpto fuerit terminatum, genitiuum pluralem in um, datiuum et ablatiuum in bus syllabam mittit, ut ab hoc pariete, horum parietum, his & ab his parietibus. Quæ regula in quibusdam nominibus discretionem recipit, ut ab hoc uase, genitiuo plurali horum uasorum, facit datiuum & ablatiuū uasis. Sed & hæc eadem euphoniæ ratio uarietatem regulæ attulit. Veteres enim ablatiuū singularem ab hoc uaso, non ab hoc uase declinabant. Quæcūq; nomina ablatiuo casu singulari u literā fuerint terminata, genitiuum plura

lem geminata u litera in uum, datiuũ & ablatiuũ in bus mittunt, ut ab hoc fluctu, horum fluctuum, his & ab his fluctibus. In hac autem regula plerique se antiquitatem sequi destinantes, u literam retinent, ut fluctubus potius quàm fluctibus dicant. Sed consuetudo improbauit, neq; in alijs nominibus quàm ubi est ambiguitas discernenda retinetur, ut ab hoc artu, artubus, retenta u efferamus, ne artes potius quàm artus dixisse uideamur.

Quæcunq; nomina ablatiuo casu singulari i litera fuerint terminata, genitiuum pluralem in ium, datiuum & ablatiuũ in bus mittunt, ut ab hac puppi, harum puppiũ, puppibus. Datur tamẽ hic quædam obseruatio, quæ dirigat iudicium nostrũ, si quando dubium est, utrum ablatiuus singularis i an e debeat terminari, itemq; utrum accusatiuus singularis in im, an in em. Nam si in diminutione ultimæ syllabæ uocalis à nomina tio ueniens producatur, facit cõtingere in utroq; casu i ponendũ, sicut turris turricula, ac perinde à turri turrim facere. Quod si nõ producatur uocalis, ut hæc securis securicula, tunc facere debemus à secure, securem. Sed ita cõsuetudo & autoritas uariat, & intra hoc pugnat, ut pleriq; in hac parte dubiũ dixerint ablatiuum: certe et qui ablatiuũ i litera efferunt, in septimum casum redigunt: ut Virgilius:

Puppi sic fatur ab alta. Lucanus:

Deserta puppe magister.

Ordiamur ergo à genitiuo singulari, qui quum & ipsa natura quodammodo per se ualeat, non enim rationi alicuius præcedentis casus debet cur hoc

aut illo modo efferatur, cæteros ex se gignit atque explicat. Atqui hæc ausus sum dicere, om̃is illa uarietas, quam pleriq; à nominatiuo conati sunt explicare, tribus quatuor'ue à genitiuo certis regulis includitur. Ergo ex qualibet nominatiui inflexione Genitiuus singularis tres ferè formas exhibet: aut enim in is terminabitur, ut celer celeris, aut in i, ut aper apri, aut in æ, ut musa musæ. Quoties in is terminatur, datiuũ in i mittit, accusatiuũ in em, ut huic celeri, hunc celerem. Datiuus porrò i terminatus, ablatiuũ singularem aut similem sui exhibet, aut in e compellit, ut est hoc ipsum nomen ab hoc celere. Similẽ uero sui exhibet, ut puta est huius nauis, huic naui, ab hoc naui. Quoties uero i terminat̃ genitiuus, ut huius apri, datiuũ in o mittit, accusatiuũ in um, ablatiuum uero similem datiuo efficit. Quoties uero genitiuus singul. æ sylla ba terminat̃, ut huius musæ, similem sui efficit datiuum, & accusatiuũ in am cogit. Hoc quũ erit, nõ solum uocatiuus, sed & ablatiuus nominatiuo erũt similes, ut ô musa, & ab hac musa. Atqui his quidem tribus regulis omnis penè multitudo concluditur: sed quædam extra hæc in paucis admodum nominibus aliter eueniunt. Diximus Genitiuũ interdum i terminari, ut huius apri, sed ea res differentiam recipit, plerunque enim gemina i litera terminatur. Quando igitur gemina terminari debeat, nom̃atiuus singularis ostendit: si enim in us uel in um, præcedente i uocali, nominatiuus fuerit terminatus, i litera in genitiuo geminabit̃, ut Tullius, huius Tullij. Quanq̃ à plerisq; per unam i ef-

feratur iste genitiuus, ut est, Promissa Lauini mœnia: Pauperis & tuguri: Nec cura peculi.

DE INCREMENTIS.

De incrementis syllabarum, quoniam & ipsum ad rationem quandam pertinet, breuiter pauca dicemus. Numerus singularis partim nullum incrementum sentit, partim diuerso & uario cumulatur augmento. Ea quæ singulari numero crescũt, quatuor modis plurali numero experiunt augmentũ. Primus modus est ut statim in nominatiuo plurali crescant, et æquale incrementum per omnes casus seruent, ut monile, monilia, moniliũ, & deinceps. Secundus modus est, quum à genitiuo plurali augeri incipiant, idq; ad finem usque custodiunt: exceptis casibus quos necesse est nominatiuo similes esse, ut hæc nauis, harum nauium, his & ab his nauibus. Tertius modus est, quũ datiuus & ablatiuus plurales tantũ augent, ut hic canis, canũ, his & ab his canibus. Quartus modus est, quum genitiuus pluralis tantũ increscit, ut hic doctus, horũ doctorũ. Nunc quemadmodũ nos dirigere analogia possit breuiter ostendam. Si quãdo aliquid controuersiæ accidit, quæ nos in diuersum aliqua ratione trahere conetur, analogiam primo requiremus, ex qua quæ portio eligenda sit, per euphoniam iudicabimus, utputa multi genitiuũ huius senati dicunt alij huius senatus. Discutiat hoc totum primo analogia, si huius senati, sicut huius docti, ac perinde horum senatorum sicut doctorum, hos senatus sicut hos doctos sequi necesse est. E diuerso potest adferri analogia, ut sit huius senatus, quo modo

Euphonia iudicat inter analogias.

modo huius uultus, ac perinde huic ſenatui, quo modo huic uultui, & horum ſenatuum, quo modo horũ uultuũ, & hos ſenatus, queadmodũ hos uultus. Ex utraq; parte uidemus analogiam allatam. Hic nũc iudicet euphonia, quę uoces aptiores quę decentiores ſint: profecto illæ quarum ratio uultui reſpondet. Quod ſi illæ decentiores ſint, certante inter ſe analogia, uarijs exẽplis id quod pulchrius eſt eligit euphonia. Sanè quoniam paulò diximus ſuperius, plerunq; eſſe etiã nomina quæ extra regulam ſint, in analogiam tamen uenire: ſcire debemus, eſſe quædã nomina ita propria ac ſola, ut ne in analogiam quidem cadant, ut eſt caro carnis, anio anienis. Nulla enim alia nomina inueniuntur quæ finita o, aut perdãt eam uocalem in obliquis caſibus, aut in e transferant.

Peregrinorũ inflexio

Nunc quoniã de latinis declinationibus abunde dictum eſt, quemadmodum debeant peregrina declinari breui ratione monſtrabimus. Nominum peregrinorũ declinatio eſt: Omne peregrinum nomen, ſiquidem iam id receptum eſt, ut Gallorum manni, Medorũ acinaces uel gaza, Pœnorum tubur, dirigi ad eius latini ſimilitudinẽ debet cui proximum eſt. Sed in his maior obſeruatio eſt circa gręca nomina, quibus frequẽtius utimur. Quæ igitur obſeruatio declinandorũ Græcorum uocabulorum teneri debeat, quàm breuiſſime fieri potuerit explicabo. In græcorũ nominum inclinatione nominatiuus ſingularis conſiderari debet, qui ſi in ſuo ſtatu manet, neque in latinam formam mutaẽ, gręca declinatio ſequenda eſt, ut eſt Pæan,

P. CONSENTII DE VERBO

Verbum est pars orationis factũ aliquod habitum'ue significans, cum tempore et persona, sine casu. Factum quod significat, agentis aut patientis uim continet: agentis, ut seco, uro: patientis, ut secor, uror. Quũ uero neutrũ horũ significationi inest, habitus quidam tantummodo demonstratur, ut est sto, sapio, uiuo. Eorum autem quę actum significant, quædã talia sunt, ut in alio actus, in alio passio constituta sit: ut quum dicimus seco, uro: necesse est ut ministrantem et patientem unius intellectus ratio comprehendat. Quædam uero talia sunt, ut nullũ patientem extrinsecus necesse sit intelligi, ut quũ dicimus sedeo, & ambulo. Similiter quoq; ea quæ patientem habent, interdum eiusmodi sunt, ut agentem extrinsecus demõstrent, sicuti sunt secor, pulsor. Quædam autem eiusmodi, ut patientia quæ significentur nullam personam trahant extrinsecus, ut est esurio, algeo. Quædam sic dicũtur ut non sint plena, nisi aliquid addatur, ut uult, decernit, iubet: nisi eñ addas quid uelit, quid decernat, quid iubeat, plenus intellectus non est. Quædã uero absolutum habent intellectum, ut sitit, esurit, satur est: neq; opus est eiusmodi adiectione, quid esuriat, aut quid sitiat, aut à quo satur sit. Quædã talia sunt, ut patientia uel ex uoluntate, uel contra uoluntatẽ euenisse uideatur: Ex uoluntate, ut doceor: contra uoluntatem, ut uror. Quædam uero talia sunt, ut neutrum horum (sicut Probus uir doctissimus adnotat) admittant, ut algeo, æstuo: neque

que enim,inquit,latine cõgrue dicitur, uolens aut inuitus quis æstuat aut alget, quum hoc ex necessitate pro qualitate temporis euenire uideatur.
Quædam eiusmodi sunt, ut nisi persona adiecta sit plenum intellectũ non habeant, ueluti pingit quis Apelles, declamat quis Cicero. Quædam uero ex contrario eiusmodi sunt, ut ad plenitudinem intellectus, à quo scilicet administrentur opus nõ sit adiectione personæ, ut pluit, tonat: sine dubio em̃ intelligitur deus. Item quædam uerba sunt, ut ait Probus, quæ eatenus distinguuntur, ut quasi propria quædam singulorum generum uel natura uel consuetudine esse uideãtur. Masculina erunt, quũ masculinę res suberunt quæ significantur: natura, ut genuit, consuetudine, ut tondetur: utrũq; enim maribus recte adsignatur. Fœminina, quum fœmininæ res significant: natura, ut parit, nubit: consuetudine, ut texit, ornat: hæc enim fœminis apta sunt. Neutra, quum eiusmodi significantur, ut neque masculino nec fœminino generi proprie applicari possint. Scire sanè debemus, non solum omnes ferè partes orationis, sed integram interdum orationem uerbi nomine solere censeri. Ideó que & uerba fecisse dici eum qui locutus sit: propterea quoq; uerba appellata sunt, quoniam scilicet oratio fieri non possit, nisi aëre uerberato. Sed aliud est quum specialiter unam partem orationis intelligi uolumus, de qua nunc loquimur.

Verbo accidunt septem: Genus, quod quidã significationem uocant, qualitas, tempus, numerus, figura, persona, coniugatio. Sed prius quàm de

singulis dicamus, illud generaliter admonendum est, quod omnes ferè partes quæ uerbo accidũt deficiunt, ut sub ipsis demonstrabimus. Quædam tamen uerba non solũ in singulis partibus, sed interdum in pluribus defectiua sunt. Genera siue significationes quinque sunt: Actiuum, ut lego, scribo. Passiuũ, ut legor, scribor. Neutrale, ut sto, curro. Deponens, ut luctor, loquor. Cõmune, ut criminor. Horum omnium proprietates sic intelligimus. Actiua sunt quæ o litera terminata, si accipiant r literam, faciũt ex se passiua, ut lego, legor: scribo, scribor. Passiua sunt quæ r litera terminata, eam quum amittunt redeunt in actiua, ut legor, lego: scribor, scribo. Sed in hoc plerunq; significationes suas mutant, ut fugio, timeo. Nam qui dicit fugio, timeo, quasi patitur, quum declinatio actiua sit. Et cõtrà qui dicit fugior, & timeor, quasi actione nescio quid significat, actus enim est quidã eius qui fugitur, uel qui timetur. Hæc & consideranda sunt diligenter, et per omnes modos declinationũ suarum animaduertenda, utrum scilicet omnia conuersa significatione procedant. Neutra sunt, quæ o litera terminata, si accipiant r literam latina non sunt, ut sto, curro: non enim est latinũ stor, curror. Deponentia sunt quæ r litera terminata, si eam amittant latina nõ sunt, ut loquor, colluctor: nõ est latinũ est loquo & colluncto. Cõmunia sunt quæ r litera terminantur, & in duas formas cadunt, patientis & agentis, ut consolor, criminor, hæc enim specie tantum passiue declinãtur, sed actiua significatio casum accusatiuum sequitur: dicimus enim

consolor

consolor fratrem, criminor fratrem. Passiua uero ablatiuum tantum, ut consolor à fratre, criminor à fratre. Illud sanè aduertere debemus, quod quum neutrale uerbum agendi ferè significationem habeat, deponens patiendi tantum, contra hoc inueniuntur pleraq; uerba: nam uapulo, ardeo, ueneo, quum neutralis uerbi terminentur modo, non actiui, sed uim passiui habent: Non enim agit, sed patitur qui uapulat, aut ardet, aut uēnit. Item fungor, loquor, uel liqueor cum deponentis uerbi modo terminatur, non enim passiui uim habet, sed actiui, agit enim ipse aliquid qui fungitur, aut qui loquit, aut liquetur, non patitur. Ex quo pleriq; etiā hanc deponentem significationē neutralem appellant, tribus de causis. Nam sicut illa quæ neutralis dicitur, passiuā declinationē non habet, ita ne hæc quidem actiuam: & sicut illa interdum passionē significant, ut est uapulo, ita hæc uicissim actum, ut est loquor, metior. Et sicut illa ideo actiua non est que passionem non recipit, ita quoq; hæc ideo passiua dici non potest, quæ non redit ad actiuam. Item sunt anomala quædam, quæ quum formā neutralem habeant, non per omnia tamen speciē seruant ut est soleo, audeo. Nam soleo, solebam: audeo, audebam actiua ratione declinantur. At uero solitus eram, ausus eram, passiua declinatio est. Ita ergo quæ utraq; ratione declinantur inæqualia sunt, & à quibusdam quasi nouo nomine & numero adiecto neutrapassiua dicuntur, de quibus uerbis plenius in coniugatione dicemus. Inspiciendum est diligentius num possit aliquod horum uerborum

ambigui esse generis, ut interdum in alio atque alio intellectu & actiuum & passiuum esse possit, ut lauo, & lauor dicimus sub incerta significatione, si de nobis dicamus. At uero: omnes in fonte lauabo, aliter dicitur: non enim, potest dici omnes in fonte lauabor. Item tondeo uel tondeor, si de se dicat sub ambiguo scilicet genere recte dicitur: aliter Tondere curant uellera, non posset dici Tonderi uellera curant. Item, pascit iuuenca, recte dicitur absolute: & pascitur iuuenca, subincerte. At si latine dici potest, pasco te ad prandiū, & pascor à te ad prandium, erit actiuū & passiuum, sicut est, pascite boues pueri. Item inspiciendum est, num ut incertū genus efficiatur, semper r litera inferat passiuā & declinationē & intellectū. An uero in hoc fiat, ut & sublata r litera actiui declinatio & uis inducat. Puto tamen omnia hæc uerba magis neutralia prima ratione, & superuenire ad similitudinem declinationis & intellectus passiui sui per literam r. Item simile est incesso, quod est actiuum, quum dicis, regina ad templū incessit. In hac significatione additum r non facit passiuū, non enim incessor pro incedor dicas, sed pro pulsor, cui significationi sublatum r faciet eiusdem interdū significationis actiuum, nam ipsum dicere non definit incessere, pro pulsare. Sunt etiam uerba incerta significatione, uel ambigui generis inter neutrale genus & deponēs, ut tondeo, lauo, fabrico, punio, munero, partio, populo, adsentio, adulo, lucto, auguro &c. Hæc omnia sub eadem ui & in r literam finiūtur, ut tondeor. Atqui omnibus his uerbis tempora

parti

participiorum accidunt interdum penè omnia, utputa quum liberũ sit ab utralibet declinationis specie participia præsumpta formare. Ita à partio partiens fundum, partiturus fundum. A partior partitus fundum. Item à munero munerans, muneraturus: à muneror, muneratus. Item noui generis uerbum est facio, ita ut incertæ significationis sit, utrũ hoc neutrale potius an actiuũ esse uideatur. Nam si formam consideres, quæ accepta r latinum non est, facio uidetur neutrale esse. At rursus quoniam passiuum habet, potest dici actiuũ: passiuum enim est fio. & cuiuscunq; passiuum extat, o quoque potest actiuum reputari. Sed figura ultimarum literarum quæritur, uocum enim tantum regulas Grammaticus habet, utrũq; utrius generis habendũ est, & erũt in utroq; duo noua, id est facio uerbũ, cuius passiuũ extat actiuum non sit: & fio uerbum quum patientis significationem habeat, actiuũq; eius extet, nec passiuũ sit nec deponens, sed neutrum potius habeatur: quoniã nõ r litera terminet. Simile est uendo, & ueneo: nam uendo agentis significationem habet: ueneo patientis, eadem ratione qua est facio & fio. Munerat hospitem, muneratur hospitem eadem significatio est in utroq; sub diuersis declinationibus: habet enim in utroq; uim actiuam. Huic contrarium est, Induit albos cum uitta crines: & loricam induitur: habet enim in utroque uim passiuam. Nunc quoniã per singulas quæ uerbo accidunt partes deficere uerba paulò ante prædiximus, quemadmodum in genere uerbi defectiua intelligantur, breuiter complectemur.

Quædam sic deficiunt, ut nõ inueniantur literæ so litæ, quæ prima persona præsentis temporis Indicatiui modi genus demonstrant, o scilicet & r, ea sunt huiusmodi, ut noui, memini, possum, tædet Quædam uero non habent quidem primam personam, ut sis, infit, aue. Nec solum hac ratione deficiunt, sed interdum nouũ quiddam inuenitur in eo uerbo, quo genus per literam declaratur, scilicet ut contra rationem cæterorũ in fine producta sit o litera, ut sto, do. Sed hæc tanquam monosyllaba contra regulam producuntur, quanq; Virgilio sic obseruatum sit, ut omne uerbum o terminatum, quotcunq; syllabarum esset, produceretur potius quàm corriperetur. Quædam literam solennem ac legitimi temporis in fine habent, sed ad significandum genus nihil id prodest, quod id uerbum aut aliam personã, aut alium modũ adfert q; quo genus intelligitur, ut cedo. Non enim prima persona est indicatiui modi, temporis præsentis: cedo enim significat dic.

Et quoniam de confessis quinque generibus satis dictum est, de impersonali genere uerbi subiungere necessarium est: etenim de istiusmodi uerbis inter ueteres præceptores nonnulla dissensio est. Alij enim genus uerbi modis applicant: alij generibus potius & significationibus iungunt, & aiunt modos esse non posse, quoniã per omnes modos solenni figuratione decurrat. Nos quid sequendũ arbitremur, exposita prius impersonalium omniũ ratione pandemus. Sed prius quàm de ipsis impersonalibus loquamur, hoc præmisisse utile est,

ut

ut sciamus quæ personas significent, statim & tempora significare, utputa legis, legit, legebat. &c. At uero quæ tẽpora significant, non statim & personas: uerbi causa, ut dicere, dicitur, dicebatur.

Nunc de impersonaliũ ui & ueritate dicemus. Verba impersonalia consensu plurimorũ duas habent species, aut enim e & t litera finiuntur, ut libet, tædet, pœnitet, decet. Aut in tur exeũt, ut statur, uenitur, curritur, legitur, scribitur, dicitur, geritur. Sed hæc definitio plerisq; non satisfecit. Deniq; addiderũt quidam uerba impersonalia etiam in it & in at: In it, ut contingit, euenit, accidit: In at, ut iuuat, stat. Et reuera siquidem impersonale hoc est, quũ singula uerba enuntiantur, et omnem personam confuse trahat, neque ulla certa istam significatione distinguat, omnia quæ posuimus recte impersonalia esse dicentur. Denique nec declinari possunt, nec ullam discretionem facere personarum, nisi adiectis pronominũ casibus & numeris separent. Quid igitur de supradictis modis, & qua ratione nascant, quàm breuissime potero paucis cõprehendam. Ea impersonalia quæ in it & in at exeunt, ab indicatiuo modo prima persona temporis præsentis o litera terminato manant, ut contingo, contingit: iuuo, iuuat. Sed aliam quandam significationem exhibent, quũ impersonalia efficiunt, quàm in ipsa positionis suæ enuntiatione obtinent. Denique & contingit tertia persona est eiusdem modi & temporis: & item iuuat. Sed non omnia tertiæ personæ uerba efficiunt impersonalem modum, ut est incendit, autumat. Ergo quum

impersonale facit Cōtingit, aut Iuuat, deserit significationē suam quam habebat in natura uerbi positam, per tempora personasq́ currentē. Nam aliter accipimus quum dicit Virgilius: Iuuat ire, & uidere castra Dorica. Et: Stat casus renouare omnes. Aut quum Cicero dicit: Accidit quum iste à Gn. Dolabella efflagitasset. Aut quum Terentius dicit: Euenit senibus ambobus iter, illi in Lemnum ut esset. Aliter porrò si iuuo, iuuas, iuuat: contingo, contingis, contingit, ad personarū actū uarietatemq́ referatur. Quum ergo animaduerteremus unde nascantur, illud nihilominus quod in promptu est scire necessarium est: non omnia nomina sicut dixi impersonalia effici, quæ ista ratione nascant. Quæ uero in ēt exeunt, duas formas habent: partim enim ab indicatiuo temporis præsentis primæ personæ o litera terminato manant, ut sedeo sedet. Sed hæc, simili exemplo ut de superioribus diximus non ferè semper impersonalia erunt, nisi personæ certam significationem confusione suspendant. Nam quū dico, hoc sedet, aliud quiddam significo quàm habet ille ordo ubi actū tenentis signo, quum dicimus sedeo, sedes, sedet. Partim uero à se oriūtur. Sed ea quæ à se oriuntur modo nullam habent prorsus originem, aut similitudinem tertiæ personæ uerbi, ut est pudet, tędet, piget, pœnitet: modo ex aliquo uerbo similitudinem, ut misereor, miseret, quod utrum à misereor, misereris, an à misereor miseraris ueniat, incertum est. Quartum genus est impersonaliū, quod tur syllaba finit, quod ab indicatiuo o litera termina-

topri

to primæ personæ præsentis temporis uenit, ut lego, legitur: gero, geritur: quod indiscrete ab eiusmodi uerbo semper omnino nascitur, exceptis quibusdam quæ & in hac parte deficiunt. Vnde docti sunt quidam, ut hunc modum declinationi applicarent, quoniãquidem nullum ferè uerbũ inueniri potest, ex quo nõ ex declinationũ figuris modus iste nascatur. Sed in hoc errauerunt, q̊d eundẽ istum modũ qui ab actiua declinatione manat, etiã passiuis declinationibus applicauerũt, quũ nequaquam est illa declinatio passiuę significationis, nisi partem eandem uerba repræsentent. Nam quũ dico sedetur, licet omnis persona confusa sit, nũquid aliud uideor dicere, quàm de his qui sedent? Aut potest ullus intellectus esse, ut hoc dixisse uidear de his qui sedent cum permixtione personæ? Ergo quoniã hæc declinatio ita perpetua semper ferè est ab actiua significatione, ut nũquam omnino desit, tolerabiliter mihi in actiua declinatione positus à quibusdã hic modus impersonalis uidet̃. Et quia per cæteros modos potest duci, non plurimũ officit quin excepto infinitiuo ferè per omnia sua currat, quamuis paulo latius diffundat̃. Cætera uero impersonalia uerba recte sine dubitatione secreta à declinationũ modis, generibus ac significationibus applicantur, quia hæc ex omni uerbo manant. Est noui generis quædam species à generibus positis discrepans. Nos tamẽ hæc omnia uerba impersonalia, exceptis declinationum modis, generibus in totum applicamus: absurdũ enim uisum est eiusdem uerbi naturam & inter genera, &

inter modos annumerare. Satis aperte & de ui & de ueritate imperſonaliũ uerborũ diximus, & cui parti ea rectius applicari oporteret oſtendimus. Nunc pauca, intellectus gratia, de hoc ipſo proximo imperſonali uerbo diſſeremus, ut uim ipſius poſſimus aduertere. Ait Virgilius:
Vſqueadeò turbatur agris.
Item Terentius: Per quem res geretur maxime. Vtrunq; uerbum imperſonale eſt: alterũ præſentis temporis, futuri alterũ: ſed huius rei intellectũ uideamus. Quod ait Terentius, Per quem res geretur maxime: uideamus quid dixerit geretur, utrum ad rem, an ad Phormionem referendum ſit. Si ad Phormionem qui acturus, genus eſt imperſonalis uerbi ab actiuo modo, id eſt à gero geritur, gerebatur, geſtũ eſt, geſtũ fuit, geſtum erat, geretur. Si ad rem nos trahit intellectus, quæ gerenda eſt, erit paſſiuũ uerbũ indicatiui futuri, id eſt geror gereris, geretur. Simili ratione diſcutiamus et eam ſignificationem qua dixit Virgilius: Vſqueadeò turbat̃ agris: & quid cui applicari debeat. Diſcernamus plerunq; concurrentes ſignificatus duas figuras exhibere, paſſiuum & actiuum: aliud enim eſſet, ſi aut ille nõ adiecіſſet, res, aut ille agris. Hæc duplex intelligentia etiã infinitiuo modo euenit. Ait Cic. Rem agi. Dicit Virg. Iam tẽpus agi res. In hoc ſi ipſam uocẽ attendamus, agi, uenit ab infinitiuo modo paſſiuo, id eſt ab agor, ageris, agitur: infinitiuũ facit agi. Si uero eos contemplemur per quos agitur, uenit à uerbo impſonali agitur, cuius origo ab actiuo manat, id eſt ab ago, agis, agit: qui
per

per omnes rursum modos declinatus, facit infinitiuũ modũ agi, actũ esse, actũ iri. Verba impersonalia quũ ferè per omnes modos declinent, tamen sunt quædã eiusmodi, ut defectiua inueniantur, ut liquet: præteritũ enim perfectũ & plus quàm perfectũ prorsus nõ habet. Item miseret, habet quidẽ præteritũ perfectũ & plus quàm perfectũ, sed alterius modi quàm forma uerbi exigit: nam illud ex actiuæ declinationis significatione in passiuam formam transit. Pœnitet enim pœnituit facit præterito perfecto. Miseret, misertũ est, ut tædet, pertæsum est, & in hoc tædet uerbo duas res forma adfert, quas declinatio exigebat, & non aliter quàm si compositum ex simplici fiat. Nam pertædet nõ dicimus, quum præteritum non possimus aliter dicere, quàm si cõponamus, ut faciamus pertæsum est, pertædet præsenti nõ posse dici, quum pertæsum est præterito tempore sit dicendum.

DE QVALITATE VERB.

Qualitas uerborum aut finita est, aut infinita. Finita est quæ notat certam personam, certum numerum, certũ tempus, ut lego, scribo. Infinita est in qua hæc uniuersa confusa sunt, ut legere. Legere enim & ego, & tu, & ille potest. Item legere & unus & plures dicuntur. Item legere etiã possum hodie, & heri potui, & cras potero. Quoniam ergo hæc neq; personam, neq; numerum, neq; tempus certũ definiunt, & ubiq; natura simplici eodẽ modo respõdent, infinita dicunt̃. Igitur prima erit animaduersio qualitatis, ut uerba finita sint an infinita noscamus. Ex quo sequit̃ alia animaduersio,

ut ea quoq; quæ finita sint, quoniã quidem per plu res modos eunt, eatenus inspiciamus, ut nõ solum finita esse, sed modum in ipsis quæ finita sunt possi mus aduertere. Modus aũt est quem Græci ἔκλασιν dicunt, conuersio scilicet & transfiguratio eius syllabę quæ ultima in uerbo est: His positis in telligimus utique in modis positam qualitatẽ esse uerborum. Hi modi licet à quibusdam uariè nume rentur, tamen nobis ut uidetur quinque omnino sunt: In eo quod Pronuntiatiuus dicitur, ut lego, Imperatiuus ut lege, Optatiuus, ut utinã legerem, Coniunctiuus, ut quũ legam, Infinitiuus, ut lege re. Indicatiuus modus est, cuius ex instanti tempore primæ personæ numero singulari literis ulti mis genera intelliguntur, ut uro, uror. Ex secundæ uero personæ literis coniugationes colligunt, quod in ipsis coniugationibus plenius referemus. Huic modo futurum tempus quidam abscidendũ putant, & faciũt modũ quem appellant Promissiuum, qui longe à ratione disiunctus est. Nam futu rum tempus ex præsenti tempore formã semper accipit, nec potest dici aut præsens tempus futuro carere, aut futurum ex se oriri, propterea pronuntiari, uel indicari etiam in futurum recte dicimus, & tam bona quàm mala. Promissiuus autem modus, quem futuri tantum temporis esse uolunt, in acyrologiæ uitium incidat necesse est. Promitti au tem bona tantum, nõ etiam mala possunt. Quomo do enim promissiuo modo dicemus urã, affligã, cruciabo? Recte ergo à doctioribus magistris exclusus hic modus est, maxime quum eum etiã Græ ci non

De modis

Pronuntiatiuus modus.

Promissiuus.

ci non habeant. Imperatiui modi hoc proprium est, quod neque præteritum tempus, neq; primam potest habere personam. Nemo enim sibi ferè unquam ipsi in præteritũ imperat, quanquam pleriq; futuri tantum temporis uelint imperatiuum. Nam et qui dicit fac, ante imperat quàm id fiat, sed hic tamen properat, ut ait Celsus, Ille etiam morari sinit qui dicit facito. Itaq; ut præteriti temporis triplex forma est, sic in hoc futuri duplicem dicunt. Optatiuus modus hoc propriũ habet, quod in iam iunctis temporibus declinatur: Præsens enim & præteritum imperfectum simul effert, ut utinam legerem. Item præteritũ perfectum & plus quàm perfectum simpliciter adfert, ut utinã legissem. Coniunctiuus modus currit per oĩa tẽpora, sed quæcunq; sunt optatiua uerba, eadem & coniunctiua sunt, ut ait Palæmon. Atqui coniunctiui non eadem & optatiui, dicimus enim quum fecero, & fecerim: quum legero, & legerim: non dicimus utinam fecero, utinam legero. Item in actiuis coniunctiuum modũ in tempore futuro duplicem dicunt, dicimus enim quũ legam, & quum legero. In passiuis uero eodem modo & tempore triplicem: dicimus enim quum legar, ulteriore quum lectus ero, Item alio ulteriore, quũ lectus fuero. Infinitiuus modus, quem perpetuum eò quod speciem suã nõ mutet quidam uocant, hanc distinctionem recipit. Nam id quod uidetur præsentis temporis speciẽ præferre, usquequaq; confusum est, sicut iam diximus, legere: legisse autem & lectum ire, quamuis & ipsa numero personisq; indistincta sunt, tamen

Celsus.

Palæmon.

definitam speciem temporũ tenent. Scire sanè debemus, sicut ante iam dixi, quod quidam impersonalem modum adijciunt, sed hunc nos non accipimus, quoniã uerba impersonalia generibus rectius applicantur quàm modis. Hæc igitur paulò latius insinuanda credidi, ut qualitatem quæ uerbo accidit facilius intelligere possimus, si horum modorum proprietates cognitas haberemus: in his enim qualitas quæ uerbo accidit cõstituta est. Ex quo recte improbata est horũ diuisio, qui modos hos inter accidentia uerbo adnumerandos esse dixerunt, quum in his qualitas ipsa uersetur, sicuti qualitas nomini accidit: ex quo spectatur, quia aut propria aut appellatiua sunt nomina, neque tamẽ quisquã aut proprium aut appellatiuũ nomini dixit accidere, quũ his ipsis quæ nomini accidit qualitas illa cernatur.

FORMAE.

Item uerborum latinorũ qualitas, nam & in his ipsis deficit græca lingua, consideratur in formis, quas formas quidam generibus uel significationibus prauè adiungunt. Formæ autem uerborum prima species duplex est. Interest enim plurimum utrum uerbum unumquodq; opus ante consuetudinem operis significet. Si opus significet, perfecta forma dicitur, ut facio, curro. Quod si consuetudinem operis, frequentatiua dicũtur, ut factito, cursito. Accidũt his meditatiua & inchoatiua. Meditatiua sunt, quibus nõ actus, sed agendi apparatus ostenditur, ut amaturio. Inchoatiua sunt, quæ nondum perfectam formam, sed initium quoddã

significa

significationis ostendũt. Ergo omnes formæ sunt quatuor: Perfecta, ut amo, caleo, pario, ferueo, lego, scribo. Frequentatiua, ut lectito, scriptito. Meditatiua, ut amaturio, parturio. Inchoatiua, ut calesco, feruesco. Hæ omnes formæ & per omnes modos currunt, et per ea omnia quæ uerbo accidunt, nisi ubi forsitan certa ratione deficiunt. Perfectæ qualitatis uerbum, ut est lego, per omnia tempora declinatur. Frequentatiuæ qualitatis uerbum semper primæ coniugationis est. Meditatiuæ qualitatis uerbum à perfecta forma sumitur, prout lego, lecturio. Inchoatiuæ qualitatis uerbum ferè à neutrali uerbo uenit, & non per omnia tempora declinatur, quia quæ inchoantur præteritũ tempus nõ habent. Ac de perfecta forma nihil plus uerborũ adijciendum est: quippe & quum plura iam dicta sint, & per cætera accidentia plura dicenda sint. Frequentatiuam ergo formã diligenter debemus aduertere. Venit enim interdũ à perfecta forma, ut à canto, cantito. Et interdum in tres gradus deducit uerbum, ut curro, curso, cursito. Interdum in duos, & frequentatiuũ creditur, ut uolo, uolito, & hoc ipsum canto, cantito. Interdũ ueniunt sine origine perfectæ formæ, & frequentatiua credũtur, ut pitisso, uacillo. Interdũ quasi diminutionis speciem gerunt, quũ sint frequentatiua, ut sorbeo, sorbillo: suggero, suggillo. Interdũ regulã frequentatiuis datã nõ seruãt, ex quo possunt uideri frequentatiua nõ esse, ut est facesso, facessis: capesso, capessis. Quũ enim omnia frequentatiua primæ cõiugationis sint, hic tertia coniugatio est. Quædã quod

ad formam ipsam loquendi pertinent frequentatiua creduntur, sed usu pro meditatiuis aut inchoatiuis usurpantur, ut est dormio, dormito. Nam hoc dormito magis pro meditatiuo aut inchoatiuo dici possit uel potest, quàm pro frequentatiuo. Scire autem debemus etiam fieri à nominibus frequentatiua uerba: ab appellatiuis, ut græcizat, patrizat Et à proprijs, ut Lentulizat. In inchoatiuis quoque quadã animaduersione opus est. Nam quũ à neutrali uerbo perfectæ formæ semper ferè nascãtur, ut horreo, horresco, inueniuntur tamen sine origine perfectæ formæ, ut quiesco, cõsuesco. Item sunt quæ inchoatiuorum uerborum similitudinem repræsentant, quum inchoatiua non sint, ut compesco. Quæ inde intelligimus inchoatiua non esse, quoniam habent præteritum tempus, quo inchoatiua carere diximus. Præterea fiunt etiam à nominibus inchoatiua uerba: ab appellatiuo, ut æger, ægrescit: à proprio, ut Antonius, Antonescit. De meditatiuis abũde est id quod supra diximus. Nunc quoniam & modos & formas diligẽter explicuimus, per quod qualitatem quæ in uerbo accidit intelligi possit prædiximus, ostendamus quæ uerba uel in modis defectiua sunt, uel in formis: in quibus aliquid exemplorũ satis est collocari, ex quibus alia qui diligentius scrutatur inueniet. Verbũ Cedo per omnes modos deficit, quia nõ nisi imperatiui modi est. Item possum, & aio uerba imperatiuum modum non habent. In forma autẽ frequentatiua defectiuum est, quod paulò ante diximus, ut facesso, uel capesso: quoniã regulariter prima con

iugatio

iugatio inueniri debeat in frequentatiuo, potest ui deri defectione quadam frequentatiuæ formæ re= gula non teneri.

TEMPORA.

Tempora à uerbis generatim accidũt tria, quæ naturalia appellantur, Præsens, Præteritũ, & Futurum. Sed præteriti temporis distinctiones tres inueniunt: Vna quæ est quasi uetustissima, & quã dicimus plus quàm perfectum, ut est cucurrerat. Alia proxima huic, quæ est perfecta, ut est cucurrit. Tertia, quæ infecta appellatur, ut currebat, & hæc artificialis dicitur. Ergo omnia tempora quinque sunt: Imperfectum, ut currebam: Perfectum, ut cucurri: Plus quàm perfectũ, ut cucurrerã: Præsens, ut curro: Futurum, ut curram. Per hæc tempora omnium modorum uerba declinantur. Quidam tamen adnumerant præteriti temporis & futuri uerba ulteriora in passiuis, quæ in declinatione ponemus. Sed scire debemus quorundam modorum uerba regulariter non posse currere per omnia tempora, ut in imperatiuo modo, præteritũ tempus, sicut supra diximus, uerba non exhibent, quia nemo in præteritũ imperat. Inchoatiua quoque uerba præteritum tempus non habent. Infinitiui quoq; modi uerbum est legere, hoc tamẽ præteriti temporis differentias non recipit: declinatur enim sic tempore futuro, lectum ire, præterito legisse. Ita ergo in præterito tres illæ differentiæ in infinitiuo non inueniuntur, præterito imperfecto prorsus nõ existente. Item sunt uerba quorum uis quum in præsenti uel in præterito sit, futurum ha=

bere non possunt, ut soleo, solitus sum, solebã, quoniam hæc totam sui naturã ex his quę aguntur aut acta sunt sumunt, futurum non habent: non enim potest dici solebo. Atqui hæc quidẽ perpetua obseruatione in omnibus uerbis ita se habent. Sed in hac parte quoq; uerba pleraque in defectum incurrunt, qui defectus triplici modo euenit. Nam prorsus nonnullum est uerbũ quod alicui tempori non possit aptari, uel alterius formæ quàm exigit ratio inclinatiõis aptať. Vel etiã uox alieni generis, subrogatur. Deficit omnino uerbũ uacante prorsus tempore citra aliquam alterius substitutionem, ut in his, pando, sisto: nam pando præteritum perfectum in modo indicatiuo non habet. Item sisto, neque præteritum perfectum, neq; plus quàm perfectum, ac per cæteros modos in tẽporibus quibusdam deficit, quò etiã participio futuro caret. Item deficit uerbum per tempora, non quod desit declinationi, sed quod alterius formæ substituať quàm ratio cœptæ declinationis admittit. Sunt eñ quædam uerba quæ per tempora formam declinationis suæ mutãt, eaq; anomala, sicut iam diximus, appellantur: hæc ferè sunt soleo audeo, gaudeo. Etenim tempore præsenti soleo, soles, solet actiuo modo declinatur. Item tempore imperfecto solebã, solebas, solebat, æque actiuo modo. Sed præterito perfecto formam suam mutat, & facit solitus sum, es, est, quod est passiuæ declinationis: nõ eñ facit soluĩ soluisti. Ita ergo quod unum atque idem uerbum in alijs atq; alijs temporibus nunc passiui declinationem habet, nunc actiui, inæquale appellatur.

Gell. tamẽ stiti forma rià sisto dicit libro 2. cap. 14.

Inæqualia uerba.

latur. Item est per tempora in declinatione defectus, quum ut significationẽ temporis expleamus, uerbum, ut ait Pansa, alterius uocis generi subrogamus, ut adfert, & ferit: in his enim dissimili uoce significationem præteriti temporis declarabimus. Dicimus enim adfert, attulit. Item dicimus ferit, percussit præterito perfecto. Tale est sum, fui, ero. Sunt præterea quædam quæ quum sint præsentis temporis, speciem præteriti exhibent, ut est memini, noui. Sunt etiã præsenti tempore & præterito perfecto quædam uerba cõmunia, ut incendit, obruit, pluit, fluit. Hæc enim nulla mutata præsentis tẽporis forma, in declinatione præteriti temporis proferũtur, intantum ut etiam pluit utrobiq; pronuntietur priore correpta: quãuis Plautus produxerit in Menechmis: Fortè ut multum pluerat. Ea quoq; quæ infinita diximus omnibus communia sunt, ut obruere, incendere.

Pansa.

NVMERI.

Numeri uerbis accidũt duo: Singularis, & Pluralis. Singularis ut lego: Pluralis, ut legimus. Quã uis quidam dicant tempore præteriti perfecti personæ tertiæ esse dualem numerum, ut legimus, legistis, legerunt. Legêre autem dualem esse dicũt, ut hoc de duobus recte dici uideatur: legerũt autẽ de pluribus. Sed hanc rationẽ usus improbrauit. Sunt uerba pleraq; per numeros defectiua, ut est faxo, infit, non enim ad pluralitatem transeunt, ut faciant faximus, aut infitis. Verum an uicissim sint pluralia tantum uerba, quæ in singularem numerum non transeant, nondum repperi.

FIGVRAE.

Figuræ uerborum ſunt duæ: Simplex, & Compoſita. Aut enim ſimplicia ſunt, ut ſcribo: aut compoſita, ut deſcribo. Componuntur autē uerba modis quatuor, ut cæteræ partes orationis: ex duobus integris, ut proſcribo: ex duobus corruptis, ut ſufficio: ex integro & corrupto, ut reficio: ex corrupto & integro, ut ſuffero: componuntur ex pluribus, ut recompenſo. Illud autem in dubium non uenit, pleraq; uerba non poſſe cōponi, ut aio, queſo. Et pleraq; rurſus compoſita ſimplicia fieri nullo modo poſſe, ea ſcilicet quę aut ex duobus corruptis, aut certe ex poſteriore corrupto componuntur, ut ſufficio. Plerique aſſerunt eſſe uerba per figuras defectiua, ut impleo: ſed hoc abſurdū uidetur, quum omne uerbū ſi componi non poſſit, habeat figuram ſimplicem. Si uero compoſitum ſit, compoſitam habeat figuram. Neq; ſit ullum quod nec aut ſimplex aut compoſitum dici neceſſe ſit, niſi forte quū alterius partis compoſitio uel integra uel corrupta appareat, alterius omnino non extet, ut eſt hoc ipſum impleo, aut impero.

PERSONAE.

Perſonæ uerbis accidūt. Earum uarietates ſunt tres, quæ figuris uerborum diſtinguuntur. Prima eſt lego: ſecunda legis: tertia legit: quæ diſtanti ac plurali quoq; numero ſeruantur. Nam primæ perſonæ eſt quum dicitur legimus. Secundæ quū dicitur legiſtis. Tertiæ quum dicitur legerunt. Sunt quædam uerba quæ non per omnes perſonas flecti poſſunt. Ea quæ uel primam perſonam indicatiuo

tiuo

tiuo modo ſtatim non habent, ut infit: uel ſi primã perſonã habeant ſolenni litera terminatã, in alias perſonas non tranſeunt, ut quæſo: non enim dicimus infio, infis: quæſo, quæſis, quæſit. Et quidem de quinque generibus uerborũ facilis intellectus eſt, ut per perſonas eorũ declinatio figuretur, tantum hoc admonendi ſumus, in his quinque ſignificationibus primã perſonã caſu nõ egere, admittere tamẽ nominatiuũ: dicimus enim, uerberor innocens, ſeruio uir fortis: quẽ caſum trahit etiã tertia perſona: dicimus enim, uerberatur innocẽs, ſeruit uir fortis. Secũda uero perſona caſum trahit uocatiuũ: dicimus enim, uerberaris innocens, ſeruis uir fortis. Hęc de perſonis circa quinque genera uerborũ dixiſſe abunde eſt. De imperſonalis aũt genere uerbi, quod nullã omnino perſonã deſignat, illud ſcire debemus, quod nõ aliter per uarietates perſonarũ declinari poteſt, niſi adiectis ꝓnominũ caſibus numeriſq;. Qui ergo pronominum caſus unicuiq; uerbo repræſentent ſpeciem perſonarũ, quàm breuiſſime potero declarabo. Ea quæ in it exeũt, datiuo caſu diſcriminãtẽ: ut cõtigit mihi, tibi, illi: euenit mihi, tibi, illi. Quæ in at exeũt, accuſatiuo caſu diſcriminãtur: ut iuuat me, te, illũ, nos, uos, illos. Interdum tamẽ interpoſitis uel nominibus: ut ſi dicas, ſtat ſententia: uel uerbis infinitiuis, ut ſi dicas, Stat caſus renouare nouos: perſonæ per datiuũ diſcriminabuntur, ut ſtat ſententia mihi, tibi, illi, nobis, uobis: ſtat caſus renouare mihi, tibi, illi, nobis, uobis, illis. Quæ in ẽt exeunt, quædã accuſatiuo diſcriminantur: ut tædet me, te, illum,

nos,uos,illos. Quædam datiuo,ut libet mihi,tibi, illi,nobis,uobis,illis. Ea autem impersonalia quæ in tur exeunt,discriminationem personarum mul tis modis experiūtur: Nam nunc ablatiuū trahūt: ut geritur à me,à te, ab illo. Nunc accusatiuū cum præpositione:ut geritur per me,per te, per illum, per nos,per uos,per illos.ut Terentius: Per quem res geretur maxime. Nunc per datiuū: ut dicitur mihi,tibi,illi.

CONIVGATIO.

Coniugatio est collectio quædam,quam Græci συζυγίαν appellant,uerborū simili declinatione con currentium. Hæ autem coniugationes tres sunt: Prima,secunda,tertia: quibus ordinem numeri li terarum in quibus perspiciuntur ordo distribuit. Harum regulas si diligenter attendamus,loquen di emendatio subsequitur,& primum illud nos sci re conuenit, quod literam quæ coniugationem de clarat,indicatiuo modo temporis præsentis,nume ri singularis, in persona secunda requirere debe mus. Deinde quod actiuum & neutrale uerbum si miles semper regulas in coniugationibus tenent, Passiuum uero,cōmune,& deponens,similes. Est ergo prima coniugatio,quæ indicatiuo modo tem pore præsenti singulari,sicut dictum est,persona, uerbo actiuo & neutrali a habet ante nouissimam literam,passiuo,cōmuni,et deponenti,ante nouis simam syllabam,ut uoco,uocas: uocor,uocaris,& hæc semper litera quæ cōiugationem istam primā ostendit longa est. Futurum tempus indicatiui mo di quod ad actiuū & neutrū pertinet in bo, quod ad

ad passiuum & cõmune & deponens, in bor mittit: nam uoco, uocabo facit futurum: & uocor futurum facit uocabor, & naturã longitudinis suæ imperatiuo & infinitiuo seruat. Secunda coniugatio indicatiuo modo tempore præsenti, numero singulari, persona secunda, uerbo actiuo & neutrali e productam habet ante nouissimam literam, passiuo & communi & deponenti ante nouissimam syllabam, ut moneo, mones: moneor, moneris. Futurumq; tempus indicatiui modi, actiuũ & neutrum quidem in bo, passiuũ & cõmune & deponens in bor syllabam mittit, ut moneo, monebo: moneor, monebor. Itidem imperatiuus & infinitiuus propria productione constant. Tertia coniugatio duplex est, sed eius prima pars est quæ indicatiuo modo tempore præsenti, numero singulari, secunda persona uerbo actiuo et neutrali i correptã habet ante nouissimam literam. In passiuo, cõmuni, & deponenti e correptum pro i litera accipit ante nouissimam syllabam, ut lego, legis: legor, legeris: & futurum tempus actiuũ quidem et neutrale in am: passiuũ uero & cõmune et deponẽs in ar syllabam mittit, ut lego, legam, legor, legar. Altera pars tertiæ coniugationis est, quæ secunda persona uerbo actiuo et neutro i productũ habet ante nouissimam literam: passiuo, communi, & deponenti ante nouissimã syllabam, ut audio, audis: audior, audiris. Et hanc nonnulli quartam cõiugationem appellant, quod futurum tempus in bo & in am mittit: ut audio, audis: audiam, audibo: seruio, seruis: seruiam, seruibo: & audior, audiris: audiar,

audibor. Sed hanc plerique nõ accipiunt, negantque in bo et in bor exire posse tertiã cõiugationẽ istã, nisi in eo uerbo quod in prima persona indicatiui modi tẽpore præsenti, numeri singularis e ante o habuerit, ut eo, queo: tũc eñ recte dici, eam, queam ibo, quibo. Illud animaduertendũ est, quod quædam uerba sunt quæ non singulis cõiugationibus inueniuntur addicta, interdum enim binæ coniugationes inueniũtur, ut est in actiua significatione declinationũ labo, labas, nã & labis facit quod est tertiæ, nec dissonat huic conditioni, idque à passiua declinatione descendit: siquidem hoc uerbũ incertæ significationis uel ambigui generis est, nam labor facit labaris, quod est primæ cõiugationis, facit & laberis, quod est tertiæ. Quædã aliam coniugationẽ habent ab actiua significatione: aliam à passiua, ut labo, labas, facit primam coniugationẽ: labor uero, nam hoc incertæ significationis est, laberis facit, non labaris.

Defectiua uerba.

Nunc quoniã abunde de coniugatione dictum est, dicendũ est quomodo in coniugationibus uerba deficiant. Diximus coniugationem in secunda persona modi indicatiui præsentis temporis inueniri. Ergo plerunque talis uerborũ in coniugatione defectus est, ut ipsa secunda persona in qua quæri solet coniugatio, non extet: ut est cedo, faxo, amâbo, infit, inquam, quæso. In his enim omnibus nõ est secunda persona: quæ si deest, quemadmodum in ea litera quæ coniugationem prodit, poterit inueniri? Alter defectionis est modus, quũ est quidem secũda persona, sed in ea aliæ literæ inueniuntur

tur

tur quàm illæ quibus coniugatio continetur, ut est fers, meministi, nouisti: nulla enim ex tribus illis uocalibus, quæ coniugationes ostendunt, ante ultimam literã syllabam'ue deprehenditur. Tertius defectionis modus est, quũ & secũda persona extat, & in ea solennis litera coniugationis apparet, sed ea tamẽ alterius temporis est quàm ratio coniugatiõis exposcit, ut sum, es, est: adsum, ades, adest: possum, potes, potest. Est quidem e litera qua diximus coniugationem demonstrari, sed ea breuis est, quum in ostendenda coniugatione longa esse debeat. Quartus modus est quoq; defectionis, ille est qui bifariè diuiditur, quod quædã uerba licet coniugationibus seruiãt, tamen uel sibi in declinatione non constant, uel ex aliqua parte deficiant, ut est soleo, audeo, præterito perfecto transferuntur in formã passiuæ declinationis, sicut & alio loco diximus, solitus sum, solitus eram: ausus sum, ausus eram. Aliqua parte deficiunt, ut est ferio, edo, hæc enim non per omnia tempora figurãtur, neq; enim facit ferui, aut ederam. Et quoniam satis inde collectum est, coniugationem in secunda persona indicatiuo modo præsentis temporis quæri debere, illud scire debemus, ipsam coniugationem in secundæ personæ literis cõsistentem, ex primæ personę modo & ratione formari, quod quàm breuissime potero paucis ostendã. Quoties primæ coniugationis literã habitura est secunda persona, prima persona, ante ultimam aut consonantes habebit, ut amo, canto, & similia: aut e ante habebit, ut calceo, calceas: nauseo, nauseas: aut i, ut lanio, la-

nias,aut u pro conſonanti, ut adiuuo,adiuuas.
Quoties ſecundæ coniugationis habitura ſit literã ſecunda perſona,prima perſona e ante o ultimam habebit,ut moneo,uideo. In hac ergo coniugatione hoc nouũ eſt, quod in præterito pfecto & plus quàm perfecto quædam uerba formã regulæ non ſeruant, ſed potius conſuetudine declinantur. Interdum enim formã exhibent paſſiuorũ, ut ab eo quod eſt gaudeo, gauiſus ſum, ſimiliter gauiſus eram,quum alia multa præterea uerba iſtius coniugationis formam regulamq; cuſtodiant, ut ſedeo, ſedi:moneo,monui. Quoties uero tertiæ coniugationi correptã literam exhibitura eſt ſecunda perſona, tũc primæ perſonæ o ultima litera aut à conſonantibus præcedet̃,ut lego legis,peto petis,et ſimilia:aut ab i, aut ab u uocalibus, ut rapio rapis, induo induis. In hac coniugatione illud nouũ euenit,quod quędã ſunt uerba in forma perfecta quæ ſecundũ conſuetudinem potius quàm ſecũdum regulam declinant̃,nam quũ lego,pungo,expungo ſimilia ſint, aliter atq; aliter tamẽ in præteritis temporibus efferũtur,faciũt enim legi,legerã: rexi rexeram:pupugi, pupunxeram:expunxi,expunxeram. Quoties uero tertiæ coniugationi producta litera eſt futura in ſecũda perſona,tunc prima perſona ante o ultimam aut e habebit, ut adeo,prodeo:aut i, ut audio,nutrio.In hac cõiugatione tria noua ſunt, unũ quod quũ præteritũ perfectũ adiecta ad imperatiuum ui ſyllaba faciat,ut adi, prodi, nutri, adiui, prodiui,nutriui,conſuetudo breuitatis cauſa u literam ſubtrahit, & i literam ultimam geminat.

geminat,ut adij,prodij,nutrij, quæ litera æque & in plus quàm perfectum subtrahitur, ut adieram, prodieram,nutrieram, & quod plerunque coniugationis litera mutatur,ut salio dissilio, non salūo,nō saliere, sed salūere facit,ut Virgilius: Salūere per utres. Et: Dissiluit Turnus. Idem est quod præteritum imperfectū diuerso modo effert. Nam ea quæ e ante o habent,adiecta ad imperatiuū bam syllaba faciunt præteritum imperfectum, ut adeo, adi,adibam: ea uero quæ i habent ante nouissimā literam, non solum bam syllabam imperatiuo addunt,ut præteritum imperfectū faciant, sed etiam ipsi syllabæ e productam præponūt,ut audio,audi,audiebā: nutrio,nutri,nutriebā: quod & ipsum ueteres exemplo superioris declinationis breuitatis causa absque e litera proferebant,ut apud Virgilium legimus: Quem matris ab ubere raptū Nutribant. Tertium illud nouū est,quod ea quæ e habent ante o ultimam,futurū indicatiui & in am & in bo mittūt,ut adeam, adibo, sicut iam paulò ante diximus, & participij declinationem non similem exhibent, nam nominatiuus tantum coniugationis literam retinet,ut transeo,transiens: prætereo, præteriens: ab eo uero cæteri casus literam mutāt, ut transeuntis,abeuntis. Restat nunc ut illud admoneamus,nō omnia uerba quibuslibet efferri casibus posse. Sunt enī quæ genitiuo casu. Sunt quæ datiuū casum,sunt quæ septimum regant. Ex quibus nos exempli gratia pauca ponemus. Genitiui casus uerba, misereor illius, tędet laboris, pudet incepti, piget facti. Datiui casus uerba, mando, pro-

pinquo, maledico inimicis, suadeo amicis, imputo iudicibus, parco uicinis, noceo aduersarijs. Accusatiui casus uerba, accuso inimicos, inuoco iudices, misereor afflictos, imitor bonos, alleuo amicos, rideo stultum. Ablatiui casus uerba, discedo ab inimicis, discrepo ab ignaro, auersor à petulante, maledicor ab inimicis, absum à stulto, dissentio ab inimicis. Septimi casus quoq; uerba sunt, quæ hoc distabunt ab ablatiuo, quod præpositiones non adduntur, ut fruor amicitijs, potior pecunia, priuor potestate, careo molestia, cedo possessione, utor toga, interdico amicitijs, sacrifico uictima, glorior uiribus. Item sunt uerba quæ binos casus nō singulos regant: Genitiuum & accusatiuū, ut obliuiscor iniuriarū, obliuiscor iniurias: memini numerorū, memini numeros. Genitiuum et septimum casum, ut egeo panis, egeo pane. Datiuum & accusatiuū, ut illudere capto, illudere captū. Accusatiuum & ablatiuū, ut auersor à petulante, auersor fontes.

P. CONSENTII GRAMMATICES FINIS.

RHETORICAE

COMPENDIVM EX MAGNO Aurelio Caſſiodoro Senatore uiro Clariſſimo.

De artium diuiſione.

ARTIVM aliæ ſunt poſitæ in inſpectione, id eſt cognitione et æſtimatione rerũ, qualis eſt Aſtrologia, nullum exigens actum, ſed ipſo rei cuius ſtudiũ habet, intellectu cõtenta eſt, quæ θεωρητικὴ uocatur. Aliæ in agendo, quarum in hoc finis eſt, ut ipſo actu perficiatur, nihilq́; poſt actũ operis relinquat, quæ πρακτικὴ dicitur, qualis ſaltatio eſt. Alia in effectu, quę operis quod oculis ſubijcit̃ conſummatione finem ſortitur, quã ποιητικὴν appellamus, qualis eſt pictura.

Orationum genera.

Duo ſunt orationis genera, alterũ enim perpetuum eſt, quæ Rhetorica dicitur: alterũ conciſum, quæ Dialectica. Quæ quidem Zeno adeo coniunxit, ut hoc compreſſæ in pugnũ manui, illud explicatæ ſimile dixerit. Nam quæ attingit argumentis tantũmodo dialecticus, ea ſi incidant in rhetorem ſic tractantur, ut nihil nec ad ornatum, nec ad elegantiam reliquũ cuiquam faciat. Initium dicendi natura ſuppeditauit, arti uero obſeruatio dedit initium. Homines enim, ſicut in medicina, quũ uiderent alia ſalubria, inſalubria alia, ex obſeruatione eorum artem fecerunt. Atq; hic accidit quod & ali

bi ut ſero quid eſſet facto opus animaduerteretur: id poſtquam eſt ſemel deprehenſum, cœptum eſt regulis, præceptisq; in poſterũ cuſtodiri, hinc tandem artis emerſit perpetua obſeruatio. Facultas orandi conſummatũ natura, arte, exercitatione. Quibus partẽ quartã adijciũt quidam, imitationis, quã nos arti ſubijcimus, ſecuti Fabium Quintilianum. Sunt autem ei qui ad dicendũ uenerit tria peculiariter efficienda, ut doceat, moueat, delectet. Hæc enim clarior eſt diuiſio, quàm eorum qui totũ opus in res et affectus partiuntur. Quãuis tamen ea ipſa ſic tractet Orator, ut quædam ſint ueluti legitima: nam quis feret Oratorem niſi docuerit? Vt autem delectet, id iure habitum eſt honorariũ, ita ut ne quidẽ ſemper debeat expectari, præſtari uero nequaquam poſſit ubilibet.

Tria efficienda oratori.

Suaſorium genus.

In ſuadendo ac diſſuadendo tria præcipue ſunt ſpectanda: Quid ſit de quo deliberetũ: Qui ſint qui deliberent: Qui ſit qui ſuadeat rem de qua deliberatur. Ita plurimũ intererit cuiuſmodi ſuſtineat perſonam qui ſuadet, Cato quippiam dixerit, an Therſites: Cunctator Fabius, an Flaminius. Et quædã per ſe ſuaſu quidem erant utilia, tamẽ quia alienos ſortiuntur auditores, locum, tempus, ideo amittũt pondus. Partes ſuadendi ſunt, honeſtũ, utile, neceſſarium. Quidam, ut Quintilianus, δυνατὸν hoc eſt poſſibile quoq; approbant & recipiũt. Nec putamus hic noſtri eſſe officij quicquã de utili & honeſto differere, quemadmodum natura ſint cõiuncta: nam hic locus non modo à Cicerone, uerũ etiã à Fabio

à Fabio prolixe tractatur. Optimũ autem quenq; admonitum esse uolumus, ne unquam in eam opinionem ueniat, ut putet quid esse utile, nisi id quoque honestum, neq; ediuerso.

Procemium unde dictum sit.

Claré pars ante ingressum rei de qua dicendũ sit, ostendit hoc uerbo. Nam siue propterea, quod οἴμη cantus est, & citharœdi pauca illa quæ anteq; legitimũ certamẽ inchoẽnt, emerendi fauoris gratia canunt, procemium cognominarunt. Oratores quoq; ea quæ prius quàm causam exordiantur, ad conciliandos sibi iudicum animos præloquuntur, procemij appellatione signarunt: siue quod οἶμον Græci uiam appellant, sic quod ante ingressum rei ponitur, institutum est hoc modo uocari. Principij causa hæc est, ut auditorem quò sit nobis in cæteris partibus accõmodatior, preparemus. Id fit tribus modis, si beneuolum, attentũ, docilemq; feceris. Quamuis uero in cæteris quoq; partibus illa animorũ conciliatione sit opus, initijs tamen maxime, & ueluti ex condicto tribuitur.

Principiũ

Procemium ab epilogo quemadmodùm differat.

Quidam putarunt sic differre quod in procemio præterita, in epilogo futura dicantur. Quintil. aũt eo differre existimat, quod in ingressu parcius & modestius prętentanda sit Iudicis misericordia. In epilogo uero liceat totos effundere affectus, & fictam orationẽ induere personis, & defunctos excitare, & pignora reorum producere, quæ omnia procemijs parum recte fiunt.

De narratione.

Narratio aut tota pro nobis est, aut tota pro aduersarijs, aut mixta ex utrisque. Si erit tota pro nobis, cõtenti sumus his tribus partibus, ut Iudex intelligat, meminerit, credat. Nec quicq; reprehensione dignũ dicat, nam id principio maxime cauet.

Narrationis uirtutes.

Quoties sequentia satis rem declarant, ijs contenti esse debemus, & priora omittere. Satius est narrationi aliquid superesse, quàm deesse: nam superuacua cum tædio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahũtur. Quæ probatione tractaturi sumus, persona, loco, tẽpore, instrumẽto, occasione, in narratione delibabimus. Multæ sæpe in una causa sunt narrationes, maxime si causa sit multiplex, ut est repetundarum. Non semper eo ordine est narrandum quo res gesta est, qua in re causę cõditionem spectabimus. Tanta est enim uarietas causarum, ut qui eundem aut ordinem ubiq; sequatur, aut præceptis quenquã certis alliget, non modo operam perdat, uerum etiam cogat in re diuersissima unum semper spectare finẽ: quod quàm sit absurdũ facile intelliget qui Ciceronis orationes legerit. ἐπιδιήγησις fit ad augmentum uel inuidiæ, uel miserationis in aduersis. Initium narrationis à persona fit, & ea si nostra est ornetur, si aliena infametur. Finis narrationis fit, quum eò perducitur expositio, unde quæstio oritur.

De egressionibus.

Egressus est uel egressio, hoc est παρέκβασις, quum intermissa parum re proposita, quiddã interseritur delecta-

delectationis,utilitatis'ue causa. Sed hę sunt plures quæ per totam causam uarios excursus habent: ut laus hominum, locorumq́, & descriptio regionũ, expositio quarundam rerum gestarũ, uel etiam fabulosarum. Sed indignatio, miseratio, inuidia, conuitium, excusatio, conciliatio, maledictorum refutatio, & similia: amplificatio, minutio, omnis affectus genus, de luxuria, de auaritia, de religiõe, aut officijs neglectis uel obitis, cum suis argumentis quia cohærent, egredi non uidentur.

De credibilibus.

Credibilium tria sunt genera, unum fortissimũ, quia ferè semp accidit, ut liberos à parentibus amari. Alterum uelut propensius: ut eum qui recte ualeat ad crastinum peruenturum. Tertium tantum non repugnans: ut ab eo in domo furtũ factũ, qui domi fuerit, munus aliq̃d domi administrauerit.

Argumenta unde ducantur.

Argumenta ducũtur à personis, causis, temporibus. Cuius tres partes sunt: Præcedẽs, insequẽs, coniunctum. Si agimus, nostra confirmanda sunt prius, tum ea quæ nostris opponuntur refutanda. Si respondemus, sæpius incipiendum à refutatione: locuples enim, speciosa, et imperiosa esse debet eloquentia.

Epilogus.

Conclusio, quæ peroratio dicitur, duplicem habet rationem. Ponitur enim aut in rebus, aut in affectibus, rerum repetitione et cumulo, quæ græcæ ἀνακεφαλαίωσις dicitur, à Latinis quibusdam renumeratio appellata. Ea autem memoriã iudicis reficit, et totam simul causam ponit ante oculos, ut etiam

si singula minus ualeant, turba tamen moueat. Ita tamen ut breuiter eorum capita cursimq́ tangantur. Sed tunc fit, quãdo multæ quæstiones inseruntur. Nam si breuis simplexq́ sit, nõ est necessaria.

De affectibus.

Affectuũ duæ sunt species, quas Græci ἦθος καὶ πάθος uocant, quasi dicas mores & affectus concitatos. πάθους quidem affectus turbulentos, ἤθους uero mites atq; compositos. In illis uehementes motus, in ijs lenes. Et πάθος quidem imperat, ἦθος uero persuadet. His ad perturbationẽ, illis ad beneuolentiam utimur. Et est πάθος temporale, ἦθος uero perpetuum. Vtrũq; ex eadem natura, sed illud maius, hoc minus. In aduersos plus ualet inuidia, quàm conuicium: quia inuidia aduersarios, conuiciũ nos inuisos facit. Nam sunt quædam quæ si imprudentibus excidant, stulta sunt, quum simulamus, uenusta creduntur. Altercator iracũdiæ uitio careat: nullus enim affectus rationi magis obstat, & fert extra causam plerũq;, ac deformia cõuitia facere ac mereri cogit, & nõnunq̃ in ipsos iudices incurrit. Coniectura omnis aut de re, aut de animo est. Vtriusq; tria sunt tempora, Præteritum, præsens, futurũ. De re generales sunt quæstiones, & definitæ: id est & quæ nõ continent personis, alijsq; circunstantijs, & quæ continentur. De animo quæri non potest, nisi ubi persona est. Et de facto, quum de re agitur, aut quid factum sit in dubiũ uenit, aut quid fiat, aut quid futurum sit, & similia.

De amphibologia.

Amphibologiæ species sunt innumerabiles, adeò

adeò ut nõnulli philoſophi putent nullum eſſe uer bum, quod nõ plura ſignificet. Aut enim uocibus ſingulis accidit per ὁμωνυμίαν, aut cõiunctis per am biguam conſtructionem. Vitioſa oratio fit quum inter duo nomina medium uerbum ponitur. Alias tamẽ uitioſæ orationis ſpecies nec enumerare cui quam facile promptũ eſt, in uniuerſum uero id ſic præcipitur, ut quicquid parũ propriè, clarè, locoq́ dicatur, id ferè in uitium incurrat.

NVNC ad artis Rhetoricæ definitiones diuiſio nesq́ ueniamus: quæ ſicuti eſt copioſa & uaria, ita & à multis & clariſs. ſcriptoribus tractata eſt non eodem modo. Nam ſunt qui genus demõſtratiuũ in ſcholis ſic relegant, ut Oratori nec faciant copiã alterius partis, aut maiorẽ aut frequentiorem q̃ iu dicialis. Qua quidẽ in re quid ſpectent uideo: nam eam demum partem multò ſpecioſiſſimam ſe tan tum iudicant dignam, in qua multum ſit & oſtenta tionis & utilitatis. Quũ interim, ut ad hanc foren ſem lucem perueniatur, in demõſtratiuis ferè luda mus: Ideoq́ fit, ut in ſcholis ubi uerarum actionum progymnaſmata tractantur, nullus locus tractetur aut felicius aut ſępius quàm laudis, uitupationisq́, qui eſt demonſtratiui generis proprius. Hoc tamẽ ſciat futurus Orator, non eſſe genus ullum dicen di, quin admittere poſſit aliquid è genere demon ſtratiuo, id quod ſic ſe habere ſibi perſuadebit, qui ueterum ſcripta legit accuratius.

Rhetorica, ut fert cõmunis ferè omnium opinio, eſt bene dicendi ſciẽtia, in ciuilibus quæſtionibus. Orator igitur eſt uir bonus dicendi peritus. Ora

toris autem officium est apposite dicere ad persuadendum. Finis, persuadere dictione, quatenus rerum & personarum conditio uidetur admittere in ciuilibus quæstionibus, sic enim Hermagoras calumnijs occurrit plurimis. Ciuiles quæstiones sunt, quæ in cōmunem animi conceptionem possunt cadere, id est qua unusquisq; potest intelligere, quum de æquo quæritur & bono. Causa est res quæ in se habet controuersiam in dicendo positam, personarū certarum interpositione, quæ ὑπόθεσις dicitur: ut, Sit'ne philosopho uxor ducenda.

Quæstio est res quæ in se habet controuersiam positam in dicendo sine certarum personarū interpositione, quæ à Græcis θέσις appellatur: ut, Sit'ne nauigandum. In hypothesi nascitur ferè quæstio: in thesi continetur. Circunstantiæ rerum hic plurimum habent locum, quæ ab Hermagora περιστάσεις uocantur, quas & elementi nomine appellant, eò quod ex eorum coniunctione tanquam ex elementis quibusdã quæstiones fiant. Sunt autem numero ferè septem: Quis, quid, quando, ubi, cur, quemadmodum, quibus adminiculis.

De partibus Rhetoricæ.

Partes autem, atq;, ut sic dixerim, membra Rhetoricæ sunt quinque: Inuentio, dispositio, elocutio memoria, pronunciatio. Inuentio est excogitatio rerum uerarum aut uerisimilium, quæ causam probabilem reddunt. Ea præceptis non constat, sed quo quisq; est ingenio promptior, hoc magis hac re excellit. Dispositio est rerum inuentarū in ordinem pulchra distributio. Vbi cauendū est, ne sis

ne sic distribuamus, ut partium multitudo adferat obscuritatem. Elocutio est idoneorum uerborũ ad inuentionem accõmodata perceptio. Memoria est forma animi rerum ac uerborũ ad inuentionem perceptio. Pronũciatio est rerũ ac uerborũ cũ dignitate uocis & corporis decora moderatio.

Genera causarum.

Tria maxima rhetorũ pars fecit genera causarum, licet alijs atq; alijs nominibus appellauerint. Demonstratiuũ, quod Græci ἐγκωμιαστικὸν à laude dicũt: & ἐπιδεικτικὸν, quod demonstrationis uim habeat. Deliberatiuum, συμβουλευτικὸν, quod Aristoteles concionale appellat. Et iudiciale. Demonstratiuum in laudem & uituperationem diuiditur. Deliberatiuum in suasionem & dissuasionem, adhibeturq; maxime utilitas & inutilitas. Iudiciale in accusationem & defensionem, petitionem præmij & negationem.

Demonstratiuũ genus est quum aliquid demonstramus, in quo laus aut uituperatio tractat᷑, quod quũ in prophanis studijs sit usitatissimũ, tum etiã nõnunquam incidit in sacris literis, ut in Dauide: Domine in cœlo misericordia tua &c. Deliberatiuũ genus est, in quo suasio aut dissuasio occurrit: appetere et fugere. Iudiciale in quo est accusatio, defensio: præmij petitio uel negatio.

De statibus.

Status, qui græcæ στάσις dicitur, est ueluti cardo in quo tota causa uertitur. Fit autem ex intentione & depulsione. Eum uocant nõnulli constitutionẽ: alij quæstionem: alij quod ex quęstione appareat.

Statuum alij sunt rationales, alij legales. Rationales diuiduntur in quatuor: In coniecturales, finitiuos, qualitatis, translationis. Coniecturalis status est, quũ factum quod ab aliquo obijcitur, ab aduersario pernegatur: ut fecisti, non feci.

Finitiuus est, quum id quod obijcitur, non hoc esse contendimus, sed quid illud sit adhibitis definitionibus probamus: ut, nõ erat sacrilegij crimen intentandum, qui priuatam rem sustuli. Hic maxime opus erit definitione sacrilegij. Qualitatis est status, quũ qualis sit res quæritur, & quia de re & genere negocij controuersia est, constitutio generalis uocatur. Translatiuus est, quũ causa ex eo pendet, quod nõ is agat qui aut agere deberet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet. Huic subijcitur confutatio.

Constitutione causæ reperta, protinus considerandum est simplex utrũ sit quæstio causæ, an coniuncta. Simplex est, quæ unam in se quæstionem complectitur: ut si quæratur, Sint'ne literæ uirtutũ incunabula? Et: Sit'ne Corinthijs bellum indicendum? Coniuncta est, quæ ex pluribus quæstionibus constat: ut si quæratur, sit'ne Carthago diruenda, an Carthaginẽsibus reddenda, an colonia deducenda. Legales uero status in scripti & rationis uersantur controuersia. Scripti autem controuersia est, quæ plurimum pendet ex ambiguitate unius aut alterius uerbi, dum tuemur mordicus legis uerba, interim nihili facientes rationẽ, hoc est, animum medullamq́; legum, quæ æquũ bonumq́; tuetur, seq́; ad animum legumlatorũ accõmodat.

Supererit

Supererit tum ut quum cognitus fuerit controuersiæ locus, uideamus quæ quæstio, quæ ratio, quæ iudicatio, quod denicꝫ firmamentũ sit causæ.

Est ergo quæstio, in qua causæ disceptatio constat: ut iure feci, nõ iure fecisti. Ratio est, qua reus utitur cur iure fecerit: ut, Orestes accusatus parricidij, inquit iure feci, illa enim patrem meum occiderat. Iudicatio est ex ratione deducta summa, huiusmodi, rectum'ne fuerit ab Oreste matrem occidi, quum illa patrem Orestis occiderit. Firmamentum est firmissima argumẽtatio defensoris: ut si Orestes dicit: Eiusmodi fuisse matris animum in patrem suum, in seipsum, in regnum, demum in omnem familiam, ut ab ea liberi potissimũ deberent pœnas sumere. Generalis cõstitutio est, quæ qua le factũ sit quod reo obijcitur docet. Et habet partes duas, Iuridicialem, & negocialem.

Negocialis est, in qua quid iuris sit ex ciuili more per æquitatẽ consideratᷓ, cui diligentię præsunt Iudices. Et habet sibi connexam controuersiam. Iuridicialis est, in qua æqui rectiꝗ natura, præmij & pœnæ ratio quæritur. Huius partes sunt duæ, Absoluta & assumptiua. Absoluta est, quæ in se continet iuris & iniuriæ quæstionem. Assumptiua uero est, quæ ex se nihil dat firmi ad recusationem, foris autẽ aliquid defensionis assumit. Cuius sunt quatuor partes: Cõparatio, relatio criminis, remotio criminis, concessio.

Comparatio est, quũ aliud aliquod factum honestum aut utile cõtenditur, quod ut fieret & illud quod arguitur dicitur esse cõmissum. Remotio

criminis eſt, quum id crimen quod infertur à ſe & à ſua culpa, in alium reus transferre conatur. Relatio criminis, quum ideo iure quid factum dicitur, quod aliquis ante laceſſiuerit. Conceſſio criminis eſt, quum reus nõ id quod factum eſt defendit, ſed ut ignoſcatur poſtulat. Eius partes ſunt duæ: Purgatio, & deprecatio. Purgatio eſt, per quam eius qui accuſatur nõ factum ipſum, ſed uoluntas defenditur. Ea rurſus tres habet partes, Imprudentiã, caſum, neceſſitatem. Imprudentia eſt, quũ ſciſſe ſe aliquid is qui arguitur negat. Caſus autem infertur in cõceſſionem, quum demonſtratur aliquã fortunæ uim obſtitiſſe uoluntati. Neceſſitudo autem erit, quũ ui quadã reus id quod fecerit, feciſſe ſe dixerit. Scripti & uoluntatis eſt controuerſia, quando uerba ipſa cum ſentẽtia ſcriptoris pugnare uidentur: quæ eſt in iure ciuili frequentiſſima, et tractatur à Cicerone quum aliâs, tum in Oratore.

Legum contrariarũ ſtatus ſunt, quando inter ſe duæ aut plures leges pugnare uidentur, quã Græci appellant ἀντινομίαν. Qua in re hoc memoriæ reliquerunt ueteres, ut ſemper ueterem legem nouã & nuper lata putemus aboleri. Ambiguitas eſt, quum id quod ſcriptũ eſt duas aut plures res ſignificare uidetur. Collectio, quæ & ratiocinatio uocatur, eſt quãdo ex eo quod ſcriptum eſt quid inuenitur. Definitio legalis eſt, quũ uis uerbi quaſi in definitiua conſtitutione in qua poſita ſit quæritur.

Status ergo tam rationales quàm legales à quibuſdam XVIII ſunt numerati. Cæterũ ſecundũ Ciceronem XIX inueniuntur: eò quod Translationem

tionem

tionẽ inter rationales precipue status recensuerit. Qui tamen seipsum in alijs libris reprehendens, Translationem legalibus statibus annumerauit.

De generibus causarum.

Quinque sunt genera causarum: Honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum. Honestum genus causæ est, cui statim uel sine oratione nostra fauet animus auditoris, ut parentes à liberis educari. Admirabile, à quo alienatus est animus auditoris. Humile est quod negligitur, nec magnopere dignum est ad quod admodũ simus attenti. Anceps, in quo aut iudicatio dubia est, aut causa particeps est honesti & turpis, ut eadem opera pariat et beneuolentiã & odium. Obscurũ, in quo aut tardi auditores sunt, aut difficilibus ad cognoscendũ negocijs causa implicata est.

De exordijs.

Vt quodlibet genus cõparatũ fuerit, sic præbet occasionẽ exordijs. Nam in honesto genere apertè lucideq; exordimur. Anceps uero, humile, atq; turpe genus insinuatione indiget, quę clàm animũ auditoris subeat. In uniuersum uero uolumus exordia quũ grauitate sententiarũ esse prædita, tum uero maxime perspicuitate, et omni eo quod dignitatem aliquam adferre poterit. Est autem exordium oratio animum auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem. Narratio est rerum gestarum, aut ut gestarũ expositio. Cuius tres sunt præcipuæ dotes, ut breuis sit, aperta, probabilis. Breuis erit, si inde incipiamus expositionis ordinẽ unde necesse est. Apertam facies, si ut quidq; pri

mo gestum fuerit enarres. Probabilis autem erit, si uidebuntur inesse ea quæ uel maxime apparent, adhibita etiam personarum dignitate.

De partitione.

Narrationem sequitur partitio, quæ est rerum ad causam pertinentium diuisio. Ea ueluti lumen quoddã toti orationi infert, si rite fuerit facta. Quarum una quid cum aduersario conuenit, & quid in controuersia reliquũ sit declarat. Altera est in qua compendio auditori statuimus ob oculos quid simus dicturi.

De confirmatione.

Postulat deinde naturæ quædam ratio, ut protinus ad confirmationem nostrorum incumbamus, quæ est argumentatio, qua nostræ causæ fidem & dignitatem cõciliamus. Idq; uel ex personis, uel negocio ipso. Ex personis tractatur nomen, natura, uictus, fortuna, habitus, affectio, studium, consiliũ factum, casus, oratio. Ex ijs enim singulis possunt argumenta duci, ut uidebitur cõmodum accusatori & reo ex æquo cõmunia. In negocio tria ferè consideramus, quid in re, quid ante rem, quid post sit secutum. Reprehensio est annexa cõfirmationi, per quam argumentando aduersariorũ confirmatio diluitur, aut eleuatur.

De conclusione seu epilogo.

Restat conclusio, quam ultimam fecimus partiũ orationis, quam sic finiunt: Est exitus & determinatio totius causæ. Quæ tractatur tribus maxime rationibus: Enumeratione, indignatione, questione. Enumeratio est per quam res dispersæ in unũ locũ

locum coguntur, id tamen quod necesse est fieri q̃ breuissime, ne repetita incutiant auditori tædium, & omissa penitus securitatem. Indignatio affectibus maxime tractabitur uehementioribus, ut iracũdia, inuidia. Questio uero misericordiã captat.

De argumentis rhetoricis.

Argumentatio est oratio ipsa qua iunctum probabiliter exequimur argumentum. Ea diuiditur in Inductionem & ratiocinationem. Inductio, sic enim Cicero, quam Græci ἐπαγωγὴν appellant, est qua rebus nõ dubijs captamus assensionẽ eius, cum quo instituta est oratio. Ea habet species tres: Propositionẽ, illationem inductionis, cõclusionẽ. Propositio est quæ similitudine concedendę rei unius inducitur aut pluriũ: ut, Si tempestas uitanda est, omittenda est nauigatio. Illatio, quæ & assumptio dicitur, est quæ rem de qua cõtenditur, & cuius causa similitudines adhibitæ sunt introducit: ut, Sunt autem qui mundum dicant sine diuina administratione consistere. Conclusio, quæ aut concessionem illationis confirmat, aut quid ex ea cõficiatur ostendit: ut, Vera est igitur diuina scientia. Ratiocinatio est, qua id de quo est quæstio comprobamus. Quæ diuiditur in ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις. Ἐνθύμημα, quod nos autore Fabio cõmentũ poteramus, nec tamen satis cõmode appellare, est certa quædã argumẽti conclusio, ex consequentibus uel repugnãtibus. Eum multi rhetoricum syllogismum, nonnulli imperfectum uocauerunt. Ἐπιχείρημα, quam Cicero ratiocinationẽ uocat, longitudine & productione sermonis distat à

Ἐνθύμημα.

Ἐπιχείρημα.

dialecticis syllogismis. Diuiditur autẽ in Tripertitum, quadripertitum, quinquepertitum syllogismum epicherematicum.

Tripertitus syllogismus epicherematicus est, qui cõstat membris tribus, id est propositione, assumptione, cõclusione. Quadripertitus, qui cõstat membris quatuor, assumptione, & una propositionis siue assumptionis coniuncta probatione et conclusione. Quinquepertitus est, qui constat membris quinque, propositione, probatione, assumptione, & eius probatione & conclusione. Hunc ita facit Cicero: Si deliberatio et demonstratio genera sunt causarum, nõ possunt recte partes alicuius generis causæ putari: Eadem enim res alij genus, alij pars esse potest: idem genus & pars esse non potest.

De memoria.

Memoriam, quam Cicero thesaurũ appellat totius orationis & præceptorum, recte putant nonnulli arte quadam tractari, quum signa constituũt certis quibusdam locis. Quod ut non omnino improbamus, sic plus tribuimus exercitationi & consuetudini eorum qui certas solent partes memoria complecti subinde. Quare confirmari maxime & augeri memoriam arbitramur.

MAGNI AVRELII CASS.
Rhetorices finis.

DIALECTICAE

COMPENDIVM EX MAGNO Aurelio Caſſiodoro Senatore uiro Clariſſimo.

NVNC ad Logicam, quæ & Dialectica dicitur, ſequenti ordine ueniamus, quam quidem diſciplinã quidam artem appellare malunt: dicentes quãdo apodicticis id eſt probabilibus diſputationibus aliquid differat, diſciplinã debere appellari. Quando uero aliquid uериſimile tractet, nomen artis obtineat, ut in ſyllogiſmis ſophiſticis. Ita utrunq; nomen pro argumentationis qualitate obtinet dialectica. Qua quidem ueteres ſunt uſi plurimum, tamen ad artis non redegerunt normam. Primus ferè Ariſtoteles, eorũ quidem qui in aliquo ſunt precio, ad regulas quaſdam huius diſciplinę argumenta perduxit, quæ ante ſine lege tractabantur uariè pro cuiuſq; ingenio.

Dialecticam uero à Rhetorica ſic Varro ſeparauit in libris nouem diſciplinarũ, tanquam illa breui oratione argumenta concludat: iſta per omnes facũdiæ campos copioſo ſermone diſcurrat. Illa uerba contrahat: iſta diſtendat. Dialectica ſiquidẽ ad diſſerendũ acutior eſt: Rhetorica uero facundior. Illa in ſcholas nõnunq; uenit: iſta in foro perpetuò uerſatur. Sed priuſquã de ſyllogiſmis dicamus, ubi totius Dialecticæ uis oſtenditur, de eius initijs quaſi quibuſdam elementis pauca ſunt diſſerenda.

Nã ſicut à maioribus ſolet fieri, qui prius q̃ ad Iſagogen ueniãt, obiter diuiſionem philoſophiæ pau cis attingunt: ad eorũ nos quoq; rationẽ accõmodemus.

Philoſophiæ diuiſio.

Philoſophia, ut maxima pars ueterũ aſſerit, tres partes habet: Naturalem, quæ in inſpectione rerũ eſt ſita, quam Græci θεωρητικὴν appellant: Moralem, quam πρακτικὴν dicunt: & Rationalem, quæ peculiariter tractat differendi modos, atque ob id propria dialectices. Definiunt autem philoſophiam, diuinarũ humanarumq; rerum ſcientiam, quantã eſt poſſibile ut aſſequatur homo. Ea autem quoniã in definitionibus eſt ſita, indiget quibuſdã quæ uel maxime repetenda ſunt ex dialecticis, ut propriẽ recteq; intelligantur. Ideo partes primas faciunt quinque: Genus, ſpeciem, differentiã, proprium, accidens. Genus eſt ad ſpecies pertinens, quod differẽtibus ſpecie in eo quod quid ſit prædicatur, ut animal: per ſingulas eñ ſpecies, ut bouis, hominis, equi, genus animal prædicatur. Species eſt, quod de pluribus & numero differentibus in eo quod ſit prædicatur, nam de Socrate, Platone, Cicerone homo prædicaẽ. Differentia eſt, quæ de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quale ſit prædicaẽ, ſicut rationale & mortale, in eo quod quale ſit de homine prædicatur. Proprium eſt, quo unaquæque ſpecies uel perſona certo additamento inſignitur, & ab omni communione ſeparatur, ut eſt riſibile homini, hinnibile equi. Accidens eſt, quod accedit & recedit præter ſubiecti corruptionem: uel id quod ſic accidit, ut penitus

non

non recedat: ut album esse, eruditum esse.

De categorijs siue prædicamentis.

Organa siue instrumenta categoriarũ sunt ὁμώνυμα, συνώνυμα, παρώνυμα, id est, æquiuoca, uniuoca, denominatiua. Aequiuoca dicuntur, quorũ nomen solum cõmune est, secundũ nomen uero substantiæ ratio diuersa: ut homo ad eum qui uiuit, & qui pingitur. Vniuoca dicuntur, quorum & nomen cõmune est, & secundum nomen discrepare eiusdem substãtiæ ratio nõ probatur, ut equus, homo, animal. Denominatiua, id est deriuatiua sunt, quæcunq; ab aliquo sola differentia casus secundũ nomẽ habent ap pellationẽ: ut à grammatica grammaticus: à fortitudine fortis.

Categoriæ autem siue prædicamenta sunt decem: Substantia, quantitas, qualitas, ad aliquid, facere, pati, situs, quando, ubi, habere. Quamuis nõ ignorem, solere à quibusdam hunc numerum contrahi, nos tamen secuti sumus Aristotelem.

Substantia, quæ præcipuè proprieq; dicitur, est quæ neq; de subiecto prædicatur, neq; in subiecto prædicatur, neq; in subiecto est: ut homo, equus. Secundæ autem substantiæ dicũtur, in quibus speciebus principaliter illæ substantiæ primo dictæ sunt atque clauduntur, ut in homine Cicero.

Secundæ substantiæ

Quantitas in continuam & discretam diuiditur. Continuæ partes sunt: Linea, superficies, corpus. Discretæ numeri sunt. Ad aliquid uero sunt, quæcunq; hoc ipso quod sunt, aliorum esse dicuntur: ut pater ad filium: dominus ad seruum.

Qualitas est, secundum quam quales esse dici-

mur. Quæ sic substantiæ adest, ut instrumentorũ magna pars hoc nomine significetur, qua substantiæ utuntur. Facere est, ut secare, urere, id est aliquid operari. Pati est, ut secari, uri. Situs est, ut stare, sedere, iacere. Quando est, ut heri, uel cras. Vbi est, ut in Asia, Lybia. Habere, ut habere uxorem. Hæc pars eò est attentius legenda, quod quicquid loquimur, aut excogitamus, in aliqua horum specie inuenitur.

De syllogismis.

Nomen est uox significatiua secundum placitũ, sine tempore, cuius nulla pars est significatiua separatim, ut Socrates. Verbum est quod consignificat tempus, cuius pars nihil extra significat. Et est semper eorum quæ de altero dicuntur nota: ut ille cogitat. Oratio est uox significatiua, cuius pars aliquid separatim significat: ut Socrates disputat. Enunciatiua uero uox est significatiua de eo quod est aliquid, uel non est: ut Socrates est. Affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo: ut Socrates est sapiens. Negatio est alicuius de aliquo: ut Socrates non est. Contradictio est affirmationis & negationis oppositio: ut Socrates disputat, Socrates nõ disputat. Hæc omnia minutissime sunt ab aliis diuisa, quæ nos tamen breuiter attigisse sufficiat, præsertim quũ à clarissimo uiro Boëthio Seuerino sex libris hoc sit tractatum.

Nunc ad syllogisticas formulas speciesq́ ueniamus, in quibus nobiliũ philosophorũ exercentur ingenia. Sunt autem formæ cathegoricorũ syllogismorum, id est prædicatiuorũ tres. Quarum prima sub

ma sub se nouẽ habet species: Nam una colligit ex uniuersalibus dedicatiuis dedicatiuum uniuersale directum: ut omne iustum honestum, omne autem honestum bonum, omne igitur iustum bonũ. Vel concludit ex uniuersalibus dedicatiua & abdicatiua abdicatiuũ uniuersale directum, ut omne iustũ honestum, nullum honestum turpe, nullum igitur iustum turpe. Vel concludit ex dedicatiuis particulari & uniuersali dedicatiuũ particulare directum, ut quoddam iustum honestum, omne honestũ utile, ergo quoddam iustum utile. Aut concludit ex particulari dedicatiua & uniuersali abdicatiua abdicatiuũ particulare directũ: ut quoddam iustũ honestum, nullum honestum turpe, quoddam igitur iustum non est turpe. Atq; de aliis in hunc quoq; modum. Secundæ formulæ inueniuntur quatuor ferè species, nam ex uniuersalibus dedicatiua & abdicatiua concludit abdicatiuũ uniuersale directum, ut omne iustum honestum, nullum turpe honestum, nullũ igitur iustum turpe. Vel ex uniuersalibus abdicatiua & dedicatiua abdicatiuum uniuersale directum. Vel ex particulari dedicatiua & uniuersali abdicatiua abdicatiuum particulare directum. Vel ex particulari abdicatiua & uniuersali dedicatiua abdicatiuum particulare.

Tertiæ formulæ inueniuntur species sex. Quas omnes, atq; eius generis alia, qui plenius nosse desiderat, legat librum Apuleii Maudarensis, qui de hac re eleganter & copiose disseruit.

Apuleius

LECTORI.

Apuleij Madaurensis de syllogismis categoricis libellum, desideratum quidem multorum uotis, superiore anno ex bibliotheca Heresfeldensi descripsimus, hoc consilio ut per occasionem publicis studijs adeoq́ iuuentuti donaremus. Eam nunc oblatam nobis tam appositam magnopere gratulamur. Nam quum Cassiodorus ad eum sic prouocet, ut quicquid huius erat generis prętermitteret, nisi sumus officium nostrum facturi si annexuerimus, libellũ quidem in speciẽ puerilem, & qui primo aspectu contemni poterat, sed quo uix sit alius nunc magis è puerorum re, ut quidem nunc habet studiorũ ratio. Ridiculũ est enim contemni ut parua, sine quibus magna constare non possunt. Nos uero sic sumus erga totam uetustatẽ animati, ut nostri seculi ingenijs quũ plurimum tribuamus, putemus tamẽ maximo in omni eruditionis genere interuallo à maioribus relinqui. Vale, & sicubi aliàs hic uel maxime cogita magnorum fluminum esse ipsos etiam fontes nauigabiles.

L. APVLEII PLATONICI MADAVRENSIS LIBER.

De ſyllogiſmo categorico.

STVDIVM ſapientiæ, quod philoſophiam uocamus, pleriſq; uidetur tres ſpecies ſeu partes habere: Naturalē, Moralem, et de qua nunc dicere propoſui Rationalem, qua continetur ars diſſerendi. Sed quum diſſeramus de oratione cuius uariæ ſunt ſpecies, ut imperandi, fauendi, miſerandi, admirandi, cōtendendi, obiurgandi, pœnitendi, mandandi, ſuccenſendi, optandi, fauendi, iraſcendi, obediendi, inuidendi, deplorandi, tum uoluntatem aſſerendi, tum metū incutiendi, in quibus oratoris excellentis eſt lata anguſtè, anguſta latè, uulgata decenter, uſitata nouè, noua uſitatè, extenuare magna, maxima è minimis poſſe efficere, aliaq; id genus plurima, eſt una inter has ad propoſitū potiſſima, quę Pronunciabilis appellatur, abſolutam ſententiam comprehendens, ſola ex omnibus ueritati aut falſitati obnoxia, quam uocat Sergius Effatum, Varro proloquiū, Cicero enunciatū, Græci ὑπόστασιν, tum axioma, ego uerbum è uerbo, tum propenſionem, cum rogamentū, familiarius tamē dicetur propoſitio. Propoſitionum ergo perinde ut ipſarum concluſionum duæ ſpecies ſunt. Altera prædicatiua, quæ etiam ſimplex eſt, ut ſi dicamus: Qui regnat, beatus eſt. Altera ſubſtitutiua, uel cōditionalis, quæ etiam cōpoſita eſt, ut ſi dicas: Qui

regnat si sapit beatus est: Substituis enim cõditionem, qua nisi sapiens est, beatus nõ est. Nos nũc de prædicatiua dicemus, quæ natura prior est, ac uelut elementum substitutiuæ. Sunt & aliæ differentiæ quantitatis & qualitatis. Quantitatis quidẽ quod aliæ uniuersales: ut omnis spirans uiuit. Aliæ particulares: ut quoddam animal non spirat. Aliæ indefinitæ: ut animal spirat. Non eñ definit utrũ omne an aliquod. Sed tamen pro particulari semp ualet, quia tutius est id ex incerto accipere quod minus est. Qualitatis autem, quod aliæ dedicatiuæ sint, quæ dedicant aliquid de quopiã: ut uirtus bonum est: Dedicat enim uirtuti inesse bonitatem. Aliæ abdicatiuæ, quę abdicant aliquid de quopiã, ut uoluptas nõ est bonum: Abdicat enim uoluptati inesse bonitatem. At Stoici hanc quoq; dedicatiuam putant, quum dicunt: Euenit cuidam uoluptati bonum non esse. Ergo dedicat quid euenerit ei, id est quid sit. Idcirco dedicatiua inquiũt est, quia in quo negauit esse, dedicat id quod non uidetur esse. Solum autem abdicatiuum uocant, cui negatiua particula præponitur. Verum hi quidem quũ alijs, tum in hac re uincuntur, siqui ita rogauerit: Quod nullam substantiam habet, non est. Cogentur enim secũdum quod dicunt confiteri esse quod non est, quod nullam substantiã habet. Cæterum est propositio, ut ait in Timæo Plato, quæ duabus paucissimis orationis partibus, constat nomine & uerbo: ut, Apuleius disserit, quod aut uerũ aut falsum est, & ideo propositio est. Vnde quidam rati sunt has duas solas orationis esse partes, quod ex

Duæ partes orationis secundum nonnullos.

ijs

ijs solis fieri possit oratio perfecta, id est quod abunde sententiã cõprehendant. Aduerbia autem et pronomina & participia & coniunctiones, & id genus cætera quæ Grammatici numerant, nõ magis partes orationis esse quàm nauiũ amplustria, et hominum pilos, aut certe in uniuersa compage orationis uice clauorum & picis, & glutinis deputanda. Porrò ex duabus prędictis partibus, altera subiectiua nominatur ueluti subdita: ut Apuleius. Altera declaratiua: ut disserit, non disserit: Declarat enim quid faciat Apuleius. Licet autem eadem imminente, utramuis partem in plura uerba protendere, ut si pro Apuleio dicas, philosophum Platonicum Madaurensem. Item pro disserendo, dicas eum uti ratione. Plerunq; autem subiectiua minor est, declaratiua maior. Et non hanc modo sed alias etiam subiectiuas comprehendens: non enim solus Apuleius disserit, sed etiam plurimi alij qui sub eadem declaratione possunt contineri, nisi forte proprium cuiuspiam de eo declararetur. Vt si dicas: qui equus, hinnibile est: At proprium est equi hinnire. Et idcirco in ijs proprijs par est declaratiua, par subdita, ac non ut in cæteris maior, quippe quum eadem possit mutata uice subdita fieri, & quã prius habuerit subditam, nunc habere sui declaratiuã: ut si cõuerso ordine ita dicas, quod hinnibile est, equus est. At nõ itidem ubi impares partes sunt, cõuertere uices possis: Non enim quia uerum est omnem hominẽ animal esse, idcirco si quæras uerum erit, omne animal hominem esse. Neq; enim ut proprium est equi hinnibile, ita proprium

Subiectiua.

Declaratiua.

k

homini est animal esse, quũ sint animalia innumera. Agnoscit hic de pluribus declaratiua, licet conuerso ordine rogamentũ proponat. Primo quidẽ plura cõprehendere potest declaratiua quàm subdita, dehinc quod nunquam uocabulo sed semper uerbo terminatur. Quo præcipue etiam nullis proprietatibus à pari subiectiua discernitur. Id etiam pro similitudine tenendum est, quia sicut propositiones definitæ & indefinitæ: ita etiam cõstat particulas tam subiectiuas ꝙ declaratiuas partim definitas esse, ut homo animal: partim indefinitas, ut non homo, non animal. Non enim definiunt quid sit, quum hoc nõ sit, sed tantum ostendunt præter hoc aliud esse. Nunc dicendum est quemadmodum & illæ propositiões affectæ inter se sint, quas non ab re est in quadra formula spectare. Sunt igitur in superiore linea, ut infra scriptum est, uniuersalis prædicatiua & abdicatiua: ut omnis uoluptas bonum est: nulla uoluptas bonum est, dicanturq; hæ inter se incongruæ. Item in inferiore linea, sub utraq; particulares subnotantur: ut, quædam uoluptas bonum est: quædam non est bonũ: dicanturq; hæ inter se suppares: deinde obliquæ ducãtur lineæ angulares, altera pertingens ab uniuersali dedicatiua ad particularem abdicatiuam, altera ab uniuersali abdicatiua ad particularem dedicatiuam, quæ inter se & qualitate et quantitate contrariæ alterutris nominentur, quod iam necesse est alterutram ueram esse, quæ dicitur perfecta & integra pugna. At inter suppares & incongruas diuidua pugna est: Quod incongruæ nunquã quidem
fiunt

fiunt ſimul ueræ, interdũ tamen ſimul mentiũtur. Suppares aũt mutata uice, nunquã quidem ſimul mentiuntur, interdum tamen fiunt ſimul ueræ. Et ideo utriuſuis harum reuictio confirmat alteram. Non tamen & utriuſuis confirmatio reuincit alteram. De incongruis qui utramuis poſuit, utiq; alteram tollit, non tamen mutata uice, qui utramuis tollit, unquam alteram ponit. Enimuero qui de alterutris utramuis comprobat, nunquam alteram refutat: qui utramuis tollit, utiq; alteram comprobat. Cæterum uniuerſalis utrauis particularẽ ſuam cõprobata utiq; confirmat, reuicta nõ utiq; infirmat. Particularis autem uerſa uice uniuerſalem ſuam reuicta utiq; infirmat, probata nõ utiq; firmat. Hæc omnia ſic eſſe ut diximus, ex propoſitionibus facile oſtenditur infraſcriptis.

Omnis uoluptas bonum eſt	*Nulla uoluptas bonum eſt*
Quædã uoluptas bonũ eſt	*Quædam non eſt bonum.*

Certum eſt enim quod cõcedat qui aliquid propoſuerit. Deſtruitur autẽ utrauis uniuerſalis trifariã. Dum aut particularis eius falſa oſtenditur, aut utrauis ex duabus cæteris uera, ſiue incongrua, ſiue ſubiectiua. Inſtruitur autẽ uno modo ſi alterutra eius falſa oſtenditur, contrà particularis uno quidẽ modo deſtruetur, ſi alterutra uera oſtendit̃. Inſtruitur autem trifariam, ſi aut uniuerſalis eius uera eſt, aut utrauis ex duabus cæteris falſa, ſiue ſuppar eius ſubiectiua. Eadem ſeruamus etiam in æquipollentibus propoſitionibus. Aequipollentes autem dicũtur, quæ alia enunciatione tantundẽ poſſunt, et ſimul ueræ fiunt, aut ſimul falſæ. Altera ob

Aequipollentes.

alteram scilicet sicut indefinita & particularis. Omnis propositio si assumat in principio negatiuam particulam, fit alterutra eius æquipollens. Vt quũ sit uniuersalis dedicatiua, omnis uoluptas bonum est, si ei negatio proponatur, fiet, non omnis uoluptas bona. Tantundem ualens, quantũ ualebat alterutra eius, quædam uoluptas non est bona. Hoc in cęteris tribus propositionibus intelligendũ est. Deinde de cõuersione. Conuersibiles propositiones dicunt̃ uniuersalis abdicatiua, et alterutra eius, id est particularis dedicatiua, eò quod particulę earũ subiectiua et declaratiua possunt inter se seruare uices, permanente cõditione ueritatis & falsitatis. Nam ut uera est propositio, Nullus prudẽs est impius, ita si conuertas partium uices uerum erit, nullus impius prudens. Item ut falsum est, Nullus homo est animal: ita si conuertas falsum est, nullũ animal homo. Pari ratione & particularis dedicatiua conuertitur, Quidam Grammaticus homo est, & quidam homo grãmaticus est. Quod duæ cæteræ propositiones semper facere nõ possunt, quanquã interdũ conuertant̃, nec tamẽ idcirco cõuersibiles dicuntur: Nam quod alicubi fallit, pro certo repudiatur. Ergo unaquæq; propositio per omẽs significationes reperienda est, an etiam conuersa congruat. Nec innumeræ sunt istæ, sed quinque solæ: aut enim proprietas declaratur alicuius, aut genus aut differentia, aut finis, aut accidens. Nec præter hæc unquã inueniri potest ulla propositio: ut si hominẽ substituas, quicq̃d de eo dixeris, aut propriũ significaueris, ut cachinnabile: aut genus, ut animal:

mal: aut differentiã, ut rationalis: aut definitionẽ, ut animal rationale mortale: aut accidens, ut Orator. Quippe omne declaratiuũ alicuius aut poteſt uiciſſim eius fieri ſubiectiuum, aut non poteſt.

In uetuſto ſanè codice deerant perpauci uerſus uetuſtate obliterati. Ea uero quæ ſequuntur ſunt Caſſiodori.

DE SYLLOGISMIS hypotheticis.

Ad hypotheticos nunc ſyllogiſmos ordine ſuadente ueniamus: quos quũ ſuperiores multis prolixisq; uoluminibus tractarint, conſilium nobis eſt quàm breuiſſime quid ſentiamus oſtendere, & maxime imitari Victorinum Marium deſtinauimus, qui de hac re elegantiſſime ſcripſit. Prolixius tamẽ hoc idem tractatur argumentum à Tullio Marcello Carthaginenſe, ſeptem nimirum libris, & Stoicorũ opiniones, qui eiuſmodi ſyllogiſmis frequentius ſunt uſi exhauſit: quos qui uolet legat. Nobis ſatis eſt uiſum atq; ſup attingere huius rei capita.

Tullius Marcellus

Modi ſyllogiſmorum hypotheticorum qui ſunt cum aliqua cõiunctione, ſunt ſeptem, quos niſi profeſſi eſſemus rem totam attingere uerius quàm pertractare nos uelle, proponeremus pueris. Sed quũ à paulò prouectioribus ignorari non poſſint, reliquimus in medio. Hoc tamen unum admonentes, eiuſmodi eſſe inter ſe modos iſtos, ut unus ex alio ſemper ferè ſumat occaſionem, & unus inuerſus duos efficiat. Hinc ad pulcherrimas definitionum ſpecies accedamus, quę tanta dignitate præcellũt, ut poſſint iurè dici ornamenta orationum & quæ-

Definitiones.

dam lumina. Est aũt definitio oratio breuis unius cuiusq; rei naturã à communione diuisam propria significatione concludens. Hæc multis præceptis conficiẽ modisq;. Nam una est definitionũ species quam latine poteramus substantialem dicere: quæ proprie uereq; dicitur definitio, ut est: Homo est animal rationale, mortale, sensus disciplinæq; capax. Hæc enim definitio per genus & differentiã descendens, uenit ad propriũ, & designat plenissime quid sit homo. Secunda species definitionis notio latine nuncupatur, quam notionem cõmuni nõ proprio dicimus uocabulo: hæc sic efficitur, homo est quod rationali conceptione & exercitatione præest animalibus cũctis. Non enim dixit quid sit homo, sed quid agat, quasi quodam signo in notitiam deuocato. In istis enim & huius generis reliquis notio rei profertur nõ substantia ut in prima. Et ut aliquid attingamus sacrarum literarũ, quum Dauid dicit: Beatus qui intelligit super egenum et pauperẽ, definitione usus est non substantiali, qua id quod esset beatum ostenderet, sed per officij muneris q; rationem indicat quis uerè mereatur beati nomen. Tertia definitionũ species qualitatũ poterat dici utcũq; latine, hæc quũ dicit quale quidq; sit, euidenter ostendit id quod sit: ut, homo est qui ingenio ualet, artibus pollens & cognitione rerũ. Aut, qui cũ delectu id quod est officij sui agit, præteritq; damnosa. Quale etiã est illud Dauidis: Tu autem in sancto habitas, in te sperauerũt patres nostri &c. Quarta species definitionũ descriptionalis appellatur, quæ adhibita circuitione dictorũ

facto

factorumq; rem ostendit: ut si luxuriosum depingere uelis, sic dices: Luxuriosus est immoderati uictus & sumptuosi appetens, delicijs affluens, in omnem libidinem promptus. Quæ omnino definitionũ species sic est oratoribus peculiaris, ut quũ in dialecticis rarissime tractetur, à rhetore uero frequentissime & cum laude in omni causarum genere tractatur. Quinta species definitionũ ad uerbum dicitur, quæ uocẽ illam de qua dicitur alio uerbo declarat, uno tamen, ut conticescere est tacere: aut quum populatos agros dicimus uastatos. Sexta species definitionũ quę per differentiam fit, ut quum quærimus quid inter regem et tyrannum intersit, adiecta differentia decernitur: ut si respondeas, Rex clementiam adhibet atq; leges ad imperium: Tyrannus cũ libidine pro legibus utitur, sumit occasionẽ facile in quencq; desæuiendi. Septima species est quã uocamus per translationẽ. Hęc tamẽ uarie tractari potest: modo enim ut moueat, ut caput est arx corporis: modo ut uituperet, ut diuitiæ sunt breuis uitę longũ uiaticum: modo ut laudemus, ut adulescentia flos est ætatis. Sic quũ Psaltes legem domini immaculatam cõuertentem animas uocat, usus est hoc genere definitionis. Octaua species fit per priuationẽ contrariã ei quod definitur: ut bonũ est quod malũ nõ est: iustũ est quod iniustum nõ est. Quod tam esse uerũ naturali lege necesse est, ut certã cognitionẽ unius cõprehensione connectat. Eiusmodi uero exempla nec desunt Dauidi, nam quũ dicit: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum &c. aliud nihil uult, quàm

priuatione ostendere id q̃d antea dixerat suis uerbis. Sed hic cõmonendi sunt adolescentes, ut quũ uelint uti hac definitione, uideant ut contrarium sit antea notũ. Certa enim ex incertis quis probaret? Quo genere recte definis deum, quum omnia quę Græci ὄντα dicũt de eo negas, quemadmodũ Dionysium uides fecisse in eo libello qui est de negatiua theologia: sublatis enim om̃ibus quæ de deo negantur, tum ferè apparebit deus cuiusmodi sit. Nona species est per quandam imaginationem, ut Aeneas Veneris & Anchisæ filius. Hæc semper in indiuiduis quæ Græci ἄτμα dicunt, et in ĩs quę pudor aut metus dicere prohibet accidit. Decima species nec satis idoneo nomine uocatur, eam tamen pleriq; ueluti dicunt, utcunque expresso eo quod agitur in ea definitione, ut si quæratur quid sit animal, respondeatur homo. Non enim dicitur manifeste animal tantum esse hominem, quum sint alia innumerabilia: sed quum dicitur homo, uelut ipsum hominẽ animal designat. Vndecima species per indigentiam uocatur pleni ex eodem genere, ut si dicas: triens est cui dodrans deest, ut fiat assis. Duodecima species quam per laudem dicimus, ut quum dicimus: Pax tranquilla est libertas. Fit & per uituperationem, ut quum dicimus: Seruitutem postremum malorum omnium, nõ modo bello sed morte quoq; repellendam. Tertiadecima species iuxta rationem appellatur. Sed hæc locum habet maxime quũ maioris rei nomine definitur res inferior: ut quũ dicimus, Homo minor est mundus. Qua etiam definitione sic Cicero utitur quum

quum dicit: Edictum legem esse annuam. Quartadecima uocatur ad aliquid, ut est: Pater est cui est filius. Et Cicero: Genus est quod plures partes amplectitur. Quintadecima est quam rei rationem uocamus: ut dies est sol super terras.

Eas uero definitionis rationes hoc uberius tractauimus, quod in topicis magnus earum fiat usus, & nusquam non occurrant, adeò ut inter locos topicos à plerisq; connumerentur.

DE LOCIS.

Locus est, ut Mummio Tullio placet, argumenti sedes. Argumenti autem sedes partim maxima propositio intelligi potest, partim propositionis maxima differentia. Nam quum sint aliæ propositiones quæ per se notæ sint, ut nihil ulterius addas quo demonstrentur, atq; hæ maximæ & principales uocantur, sic sunt quarũ fidem ex maximis pendere necesse est. Ergo quæ per se non satis sunt cognita, ea per maximas illas & principales probantur, quæ adeò mox ut sunt auditæ fidem faciunt, ut ijs nihil notius possit uspiam inueniri: Nam argumentum est quidem quod rei dubiæ faciat fidem, idq; notius ac probabilius esse oportet, ita ut aliena probatione non indigeat, ad id ut fidem faciat. Sed huiusmodi propositio nonnunq; intra argumenti ambitum continetur. Aliquoties uero extra posita argumenti uires supplet ac perficit. Omnes igitur loci, id est maximarum differentiæ propositionum aut ab ijs ducantur necesse est terminis, qui in quæstione sunt propositi, prædicato scilicet atq; subiecto, aut extrinsecus assumant aut horum medij atq;

Mummius Tullius.

in utrisq; uersantur. Eorum autem locorum, qui ab ijs terminis, de quibus in quęstione dubitať, deducuntur, duplex est modus. Vnus quidem ab eorum substantia: hi uero qui substantiam ipsam tractant in sola definitione consistunt. Definitio enim causam explicat, & substantiæ integra demonstratio definitio recte appellatur. Sed exemplo id doceamus: si quæras an arbores sint animalia, atq; sic agas: Animal est substantia animata sensibilis: arbor non est animata sensibilis: arbor igitur animal non est. Hic quæstio de genere est, utrum enim arbores sub animalium genere ponendæ sint, in dubium uenit. Locus, qui in uniuersali propositione consistit hic est: Cui generi definitio non conuenit, id eius cuius ea definitio est species non est. Descriptio autem quia idem habet momentum includitur in definitione, nisi quod hæc accidentibus quibusdam aliunde repetitis hoc idem efficit, quod definitio per differentiam & genus.

Consequuntur etiam nonnulli termini substantiam, quorum multa est diuisio, quandoquidem tot sunt quæ substantijs inhærescunt. Nos ea dicemus quæ quàm plurimum accidunt. Ab hijs ergo quæ cuiuslibet substantiam comitantur argumenta duci solent aut ex toto, ex partibus, ex causis uel efficiētibus, uel materia, uel fine, à corruptionibus, ab usibus, aut præter hos omnes ex cōmuniter accidentibus. Totum autem bifariā interpretamur, uel ut sit genus, uel id quod integrū ex multis partibus constat. A cōmuniter autem accidentibus argumenta fiunt, quoties ea sumūtur accidentia, quę substan

ſubſtantiam uel non poſſunt, uel non ſolent deſere re, ut ſi dicas: Sapiens nõ ducitur pœnitudine. Pœ nitudo enim eſt mala. Comitatur factum quæſtio. Ea autem eſt, an cadat in ſapientẽ pœnitentia. Ma xima propoſitio, cui nõ ineſt illa perturbatio, ei ne illud quidem ineſſe conſequens eſt. Vocatur locus à cõmuniter accidentibus.

Tractatis ijs qui ab ipſis terminis in propoſitio ne poſitis aſſumuntur, nunc de ijs dicendũ eſt, qui licet extrinſecus poſiti, argumenta tamen quæſtio nibus ſubminiſtrant. Hi uero ſunt uel ex rei iudi ció, ex ſimilibus, à maiore, à minore, à proportione ex oppoſitis, ex tranſſumptione. At ille quidem lo cus qui rei iudiciũ tenet eiuſmodi eſt, ut id dicamus eſſe quod uel omnes iudicant uel plurimi, & hi ma xime ſapientes: ut cœlũ eſt uolubile: q̃d ſic eſſe do ctiſſimi quiq; rei aſtronomicæ iudicauerũt. Quæ ſtio eſt de accidenti. Propoſitio maxima: quod o mnibus uel pluribus, uel doctiſſimis quibuſq; uide tur, contra id ſtatui quicquam non poſſit. A ſimili bus atq; alijs locis nõ uidetur admodum opus plu ra dicere, quandoquidem Compendium in gratiã puerorum nõ iuſtos commentarios deſtinauimus exhibere, unde occaſionem capiant & maioris cu ræ et diligentiæ circa eas res quæ ſi incuria fuerint præteritæ, nõ uidemus quid præterea frugis poſ ſit ſperari ex alijs, quæ his nitunt̃ ueluti elementis.

Medij loci ſumuntur ex caſu, ex coniugatis, ex diuiſione. Caſus eſt alicuius nominis principa lis inflexio in aduerbium: ut à iuſtitia iuſtè. Coniu gata, quę ab eodem diuerſo modo ducta fluxerint,

ut à iuſtitia iuſtum. Ex quibus quo pacto argumenta ducantur in promptu eſt: nam ſi id quod iuſtum eſt bonum eſt, & id quod iuſtè fit rectè fit. Medij uero uel etiã mixti appellantur, quoniã argumenta quæ ex his ducuntur, neq; ab ipſis terminis intus poſitis proprie, neque ab ijs quæ ſunt extrinſecus poſita uidentur trahi, ſed ex ipſorũ caſibus, id eſt quadam leui immutatione deductis. Diuiſio uero tractatur aut negatione, aut partitione, ut ſi quis ita dicat per negationem: Omne animal aut eſt rationis capax, aut nõ eſt. Partitionem: Omnis homo aut ſanus eſt, aut æger. Fit autem diuiſio aut generis in ſpecies, aut totius in partes, uel uocis in proprias ſignificationes, uel accidentis in ſubiecta uel ſubiecti in accidentia. Quorum omnium rationem plenius tractauimus in eo libro quem de diuiſionibus iampridem edidimus, unde ſumantur exempla: nec enim iuuat nunc repetere. Quorum omnium typum uides hic annexum.

Locorum quidam sunt,

- Interni
  - In ſubſtantia
    - Definitio
    - Deſcriptio.
  - Comitantes ſubſtantiã à
    - Toto
    - Parte
      - Generis
      - Partium
    - Cauſa
      - Materiali
      - Efficienti
      - Finali.
    - Vſu
    - Corruptione
    - Cõmuniter accidentib.
- Externi à
  - Iudicio rei
  - Similibus
  - Maioribus
  - Minoribus
  - Proportione
  - Oppoſitis
  - Tranſſumptione.
- Medij à
  - Caſu
  - Coniugatis
  - Diuiſione, quę cõſtat
    - Negatione
    - Partitione.

M. AVRELII CASS.
Dialectices finis.

ARITHMETICAE

COMPENDIVM EX MAGNO Aurelio Caſſiodoro Senatore uiro Clariſſimo.

MATHEMATICA, quam latine doctrinalẽ dicere poſſumus ſcientiam, quæ abſtractam conſiderat quantitatem, id eſt intellectu à materia ſeparatam, diuiditur in Arithmeticã, Muſicam, Geometriam, Aſtronomiã. Primas autem dederunt ueteres ob eam cauſam Arithmeticæ, quod Muſica & Geometria & Aſtronomia indigerent numerorũ ratione ut recte poſſent tractari. uerbi gratia: Muſica ſimplũ ad duplum habet, id uero indiget iam Arithmetica. Arithmetica eſt diſciplina quantitatis numerabilis ſecundũ ſe. Præeſt enim hæc numeris. Numerus uero eſt multitudo ex monadibus cõflata. Numerus aũt diuiditur in parem et imparem. Par eſt, qui in duas partes æquales diuidi poteſt: ut duo, quatuor. Impar eſt, qui in duas partes æquales diuidi nullo modo poteſt: ut quinque. Deinde numerus quidã pariter par eſt, cuius diuiſio in duabus partibus æqualibus fieri poteſt, uſquê ad monada: ut lxiiij. diuiduntur in xxxij. Pariter impar eſt qui ſimiliter in duas tantũmodo partes diuidi poteſt: ut decem in quinqȝ, quatuordecim in ſeptem. Impariter par numerus eſt, qui plures diuiſiones ſecundum æqualitatem parium recipere poteſt, non tamen ad aſſem peruenire: ut uiginti

uigintiquatuor in bis duodecim,& xij. in bis sex.

Est & alia diuisio numeri in primum & simplicem, secundum & compositum, tertium & mediocrem. Ita ut primus & simplex numerus sit qui modicam possit capere mensurã:ut iij. v. vij. Secundus & compositus sit, qui non solum monadicam mensuram, sed & arithmeticam recipere potest:ut ix. xv. xxi. Mediocris autem qui quodãmodo simplex & compositus esse uidetur, alio uero atq; alio modo:ut ix. ad xxv dum comparatus fuerit, primus est & incompositus, quia non habent communem numerum nisi solum monadicum. Ad quindecim uero si comparatus fuerit, secundus est & compositus, quia inest illi communis numerus præter monadicum, id est trinarius, qui nouem mensurat ter ternis, & quindecim ter quinis.

Præterea sunt quidam superflui, indigentes, & perfecti numeri. Superfluũ dixere qui de paribus descendit: is dum sit superfluus, partes quantitatis suæ habere uidetur, ut xij. habet medietatem, sexta pars duo, quarta pars iij. tertia iiij. & duodecima pars unum, qui omnes assumpti unà faciunt xvi. Indigens est qui & ipse de paribus descendit, sed quantitatis suæ summam partibus inferiorem habet: ut viij. cuius medietas est iiij. quarta pars duo, octaua pars unum. Quæ simul congregatæ efficiunt vij. Perfectus uero est qui quoq; ipse de paribus procedit, dum par sit, omes partes suas assumptas æquales habet: ut vi. cuius medietas iij. tertia pars duo, sexta pars unũ, quæ assumptæ partes faciũt ipsum numerum senarium. Istos

uero numeros tandem cõsideramus aut per se, aut ad aliquid. Per se, qui sine relatione aliqua dicitur: ut iij. iiij. v. vi. Ad aliquid, qui ad alios comparatur, ut quatuor ad duo, dum comparatus fuerit, duplex dicitur: ut sex ad tria. Isti aũt sunt aut æquales, aut inæquales. Aequales sunt qui secũdũ quantitatem sunt æquales, ut duo ad duo, decem ad decem. Inæquales qui ad inuicem cõparati, inæqualitatem demonstrãt, ut tria ad duo. Et in uniuersum maior minori, aut minor maiori dum comparatus fuerit, inæqualis dicitur. Nec contenti sunt qui tractant Arithmetica ijs diuisionibus quamlibet multis, quinetiam addunt aliã, ut sint numeri quidam discreti, quidam continentes. Discreti, qui discretis monadibus continentur, ut tria à quatuor. Continens, qui à coniunctis monadibus continet̃, ut ternarius numerus si in magnitudine intelligatur, id est in linea, aut spacio, aut solido, dicitur continens, idq́ trifariam: nam aut linealis hic est, id est qui incipiens à monade scribitur usque ad infinitũ linealiter. Vnde α ponitur pro designatione linearum, quoniã hæc litera unum significat apud Græcos: Aut superficialis, qui non solum longitudine, sed & latitudine continetur, ut trigonus, numerus quadratus, quinquiangulus circulatus. Aut solidus, qui in longitudine, latitudine, uel altitudine cõtinetur, ut sunt pyramides quæ in modum flammę consurgũt. Huius disciplinæ tota uis in exemplis, additionibus, et detractionibus partiũ est sita, quã partẽ qui uolet plenissime pernosse, L. Apuleiũ legat, qui primus Latinis hæc argumẽta illustrauit.

ARITHMETICAE FINIS.

MVSICAE COMPENDIVM EX MAGNO AVrelio Cassiodoro Senatore uiro Clarissimo.

DE Musica nũc nobis sermo erit, quam quum Fabius omnium disciplinarum primam faciat, Gaudentius, qui de Musica elegãter sanè & prolixe scripsit, à Pythagora ortã asserit, huiusq́ rei principia quædam ex nescio quo malleorum sonitu, & chordarũ intensione accepta. Qui liber quũ sit nuper à Mutiano amico nostro ex græco uersus, & ob id plerisq́ in manibus, pauca dicemus de ea, id est quæ præteriri non possint ab eo qui cõpendio studeat. Clemens Alexãdrinus à Musis nomẽ habere æstimat, idq́ nõ ab re: quis enim nescit ob id à ueteribus dictos ἀμούσους, quod non modo à Musica, uerum ab omni Musarum cõmertio alieni qui essent, hoc nomine tanquã probro notarentur.

Gaudẽtius

Clemens Alexãdrinus.

Musicam ueteres definierunt bene modulandi numerorumq́ scientiam: qua Pythagoras cœlum etiam ipsum creataq́ omnia constare affirmabat. Diuiditur autem in harmonicam, rhythmicã, metricam: ita ut harmonica sit quæ decernit inter sonos, de acuto & graui. Rhythmica, quæ in cõcursione uerborũ dijudicat, bene secus'ue sonus cohæreat. Metrica, quæ mensuras diuersorũ metrorũ probabili ratione cognoscit, ut de heroico, iambico. Sunt autem instrumentorũ musicorum gene

ra tria: Pulsatilia, tensilia, inflatilia. Pulsatilia, ut acceptabula ænea uel argentea, et quæcunque metalli duricie tactu sonum reddant. Tensilia sunt chordarum fila, quæ plectro percussa aures permulcent, in quibus sunt species omnium cithararum. Inflatilia, quæ spiritu animantur, ut tubæ, calami, organa, pandiria. Et quoniã de concentu & symphonia circa institutum nostrum magna fit mentio, dicendum quoque est quid sit symphonia. Est temperamentum sonitus grauis ad acutũ, & acuti ad grauem, cõcentum efficiens siue uocis siue pulsus. Earum sex numerant ab omnibus ferè: Diatessaron, diapente, diapason, diapason et diatessaron, diapason & diapente, disdiapason.

Διὰ τεσσάρων symphonia est quæ constat ex ratione epitrita, & fit ex sonis quatuor, unde nomen accepit. Διὰ πέντε est symphonia quæ constat ex ratione hemiolia, & fit ex sonis quinque, unde et hęc habet apud Græcos nomen. Διὰ πασῶν quæ etiã diocto dicitur, constat ex ratione diplasia, hoc est dupla. Fit autem per sonitus octo. Et quia apud ueteres citharæ octo chordis constabant, inde diapason dicebant quæ ex omnibus sonis constaret. Διὰ πασῶν καὶ διὰ τεσσάρων est symphonia, quæ constat ex ratione quam habet uigintiquatuor numerus ad octo. Fit autẽ ex sonis undecim. Διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε symphonia est, quæ constat ex ratione triplasia: fit autem per sonitus duodecim. Δὶς διὰ πασῶν, id est dupla diapason, symphonia est quæ constat ex ratione tetraplasia: fit autẽ per sonitus quindecim.

DE

DE TONIS.

Tonos dixere totius constitutionis harmonicã: differentiam,& quantitatem quæ in uocis accentu siue tenore consistat. Eos uero diuisere in quindecim species. In hypodorium, hypoiastium, hypophrygium,hypoæolium,hypolydium,dorium,iastium,phrygium,æolium, lydium, hyperdorium, hyperiastium,hyperphrygium,hyperæolium,hyperlydium. Hypodorius tonus est omnium grauissime sonans, propter quod & inferior nominatur. Hypoiastius autem hypodorium hemitonio præcedit. Hypophrygius est,hypoiastium hemitonio,hypodorium tono præcedens. Hypoæolius est hypophrygiũ hemitonio, hypoiastium tono,hypodorium tono semis præcedens. Hypolydius est hypoæolium hemitonio, hypophrygiũ tono,hypoiastium tono semis, hyperdorium ditono præcedens. Dorius est,hypolydium hemitonio, hypoæolium tono,hypophrygium tono semis,hypoiastium ditono, hypodorium duobus semis tonis,hoc est diatessaron symphonia præcedens. Iastius est, dorium hemitonio, hypolydium tono, hypoæolium tono semis, hypophrygium ditono, hypoiastiũ duobus semis,hoc est diatessaron symphonia, hypodorium tribus tonis præcedens. Phrygius est,iastium hemitonio, dorium tono,hypolydium tono semis, hypoæolium ditono,hypophrygium duobus semis tonis,hoc est diatessaron symphonia, hypoiastium tribus tonis, hypodoriũ tribus semis tonis,hoc est diapẽte symphonia præcedens. Aeolius est,phrygiũ hemitonio,iastium

tono,dorium tono ſemis, hypolydium duobus ſe-
mis,hoc eſt diateſſaron ſymphonia,hypophrygiū
tribus tonis,hypoiaſtiū tribus ſemis, id eſt diapen
te ſymphonia, hypodorium quatuor tonis præce-
dens. Lydius,æolium hemitonio, phrygium to-
no, iaſtium tono ſemis, dorium duobus tonis, hy-
polydium duobus ſemis tonis, hoc eſt diateſſaron
ſymphonia,hypoæolium tribus tonis, hypophry-
gium tribus ſemis tonis, hoc eſt diapente ſympho
nia,hypoiaſtium quatuor tonis, hyppodoriū qua-
tuor ſemis præcedens. Hyperdorius eſt lydiū he
mitonio, æolium tono, phrygiū tono ſemis, iaſtiū
duobus tonis, dorium duobus ſemis, id eſt diateſ-
ſaron ſymphonia,hypolydium tribus tonis,hypo-
æolium tribus ſemis tonis, hoc eſt diapente ſym-
phonia,hypophrygium quatuor præcedens. Hy
periaſtius eſt,hyperdorium hemitonio, lydium to
no, æolium tono ſemis, phrygiū duobus tonis,ia-
ſtium duobus ſemis, hoc eſt diateſſaron ſympho-
nia,dorium tribus tonis,hypolydium tribus ſemis
tonis, hoc eſt diapente ſymphonia, hypoæolium
quatuor tonis, hypophrygium quatuor ſemis, hy
poiaſtium quinque tonis,hypodorium quinque ſe
mis. Hyperphrygius, hyperiaſtium hemitonio,
hyperdoriū tono,lydium tono ſemis,æolium duo-
bus, phrygium duobus ſemis, hoc eſt diateſſaron
ſymphonia,iaſtium tribus tonis,dorium tribus ſe-
mis,hoc eſt diapente ſymphonia, hypolydiū qua-
tuor tonis,hypoæolium quatuor ſemis,hypophry
gium quinque,hypoiaſtium quinque ſemis, hypo
doriū ſex, id eſt diapaſon ſymphonia præcedens.
Hyper

Hyperæolius est, hypophrygiũ hemitonio, hyperiastium tono, hyperdoriũ tono semis, lydium duobus tonis, æolium duobus semis, hoc est diatessaron symphonia, phrygiũ tribus tonis, iastium tribus semis, hoc est diapente symphonia, doriũ quatuor tonis, hypolydiũ quatuor semis, hypoæoliũ quinque, hypophrygium quinque semis, hypoiastium sex tonis, id est symphonia diapason, hypodoriũ sex semis præcedens. Hyperlydius est nouissimus & acutissimus omniũ, hyperæoliũ hemitonio, hyperphrygium tono semis, hyperiastium duobus tonis, lydiũ duobus semis, hoc est diatessaron symphonia, æolium tribus, phrygium tribus semis, hoc est diapente symphonia, iastiũ quatuor tonis, dorium quatuor semis, hypolydiũ quinque, hypoæolium quinque semis, hypophrygiũ sex tonis, id est diapason symphonia, hypoiastium semis sex, hypodorium septem tonis præcedens.

Hinc satis claret, quod hyperlydius acutissimus omniũ septem tonis præcedit hypodorium omniũ grauissimum. In quibus omnibus M. Varro tantum dicit inesse nescio quid energiæ, ut quum animos uel concitent uel compescant, tum etiam ipsa quoqꝫ bruta animalia pertrahãt ad auscultandi libidinem quandam. Nam ut fabulosa illa Orphei taceamus, refert Asclepiades medicus extra controuersiam doctissimus, phreneticũ quendam esse pristinæ sanitati restitutũ beneficio Musicæ. Reliqua quæ huius sunt loci ex Alypio, et Ptolemæo petantur. Quamuis & Censorinus de ijs quæ uoci accidunt nonnihil attingat huius rei.

MVSICAE FINIS.

GEOMETRIAE
COMPENDIVM EX MAGNO Aurelio Caſſiodoro Senatore uiro Clariſſimo.

GEOMETRIAM, quam terræ dimenſionē dicimus, Varro doctiſſimus Latinorum huiuſmodi originem habuiſſe teſtatur. Primo quidem dimenſiones terrarū terminis poſitis præſtitiſſe populis pacis emolumenta, dum quiſq; certo ſe fine patitur includi, deinde totius anni circulum menſtruali numero ueteres fuiſſe partitos: unde & ipſi menſes, quod annum metiantur dicti ſint, Verum poſt quàm hæc ita reperta eſſent, extiterunt qui à terrenis illis oculiſq; obuijs animos ad altiora erigerēt, cœperuntq; quærere quanto à terra ſpacio luna, à luna ſol ipſe diſtaret. Quūq; aſſequerentur huius ſtudij perfectam cognitionem, cœpti ſunt uocari Geometræ. Quamuis ſint autores, qui malint Aegyptijs donare huius artis inuentū, propter exundantem Nilum, qui quum ſic oblimaret agros exundans, ut de finibus orirentur cōtrouerſiæ, certā rationē initam fuiſſe qua uel remotis terminis, uel limo obductis poſſit quiſq; quantū poſſediſſet ante deprehendere. Sed nos ad rem ipſam potius.

Menſes unde dicti.

Geometriam definierunt eſſe diſciplinā magnitudinis immobilis, formularūq; deſcriptionē contemplatiuam, per quam uniuſcuiuſq; termini declarari ſolent. Diuiditur autē in ſolidum, in magnitudinem

tudinem rationalem et irrationalem, in figuras pla nas. Solidum eſt, quod longitudine latitudine uel altitudine continet. Numerabilis magnitudo eſt, quæ numeris arithmeticæ diuidi poteſt. Magnitudines rationales ſunt, quarũ menſurã ſcire poſſumus. Irrationales uero, quarum menſuræ quantitas cognita nõ habetur. Planę figuræ ſunt, quę longitudine & latitudine continentur.

Principia Geometriæ ſunt punctũ et linea. Punctum eſt, cuius pars nulla eſt. Linea uero quæ habet prœter latitudinẽ longitudinem. Lineæ uero finis eſt punctũ. Recta linea eſt, quę ex æquo in ſuis pũctis ſita eſt. Superficies uero, quæ longitudinẽ ac latitudinẽ ſolas habet: eius aũt fines ſunt lineæ. Plana ſuperficies eſt, quæ ex æquo in ſuis rectis lineis ſita eſt. Planus angulus eſt duarũ linearũ in plano inuicem ſeſe tangentium, & nõ in directo iacentium ad alterutrã concluſio. Quum uero lineæ quæ angulum continent rectæ ſunt, tum angulus uocatur rectilineus. Quando recta linea ſuper rectam ſtans circum ſe angulos æquos ſibi fecerit, rectus eſt uterq; angulorum æqualium. Ea uero quę incumbit iacenti lineæ uocatur perpendicularis. Obtuſus angulus uocatur recto maior. Acutus autem minor recto.

Figura eſt quę ſub aliquo uel aliquibus terminis continetur. Terminus porrò eſt, qui cuiuſq; eſt finis. Circulus, eſt figura plana, quæ ſub una linea continetur, ad quam ab uno puncto eorũ quæ intra figuram ſunt poſita, omnes quæ accidunt rectæ lineæ æquæ ſibi inuicem ſunt. Hoc uero pun-

ctum Centrum circuli nominatur à Geometris. Diametrus circulus, est recta quædã linea per centrum ducta, & ab utraq; parte ad circunferentiam circuli terminata, quæ in duas æquas partes circulum diuidit. Semicirculus est figura plana, quæ sub diametro & ea quę diametrus apprehẽdit differentia continetur. Rectilineæ figuræ sunt, quæ sub rectis lineis cõtinentur. Trilatera figura quæ sub tribus rectis lineis continetur. Quadrilatera uero quæ sub quatuor. Multilatera quæ sub pluribus quàm quatuor. Angulus est qui tribus æquis lateribus clauditur. Isosceles, quod duo tantũmodo æqualia habeat. Scalenon, quod tria latera inæqualia habebit amplius trilaterum figurarum.
Orthogonium, id est rectiangulum quidem triangulum est, quod habet angulum rectum. Ampligonium uero quod est obtusi anguli. Oxigoniũ acutum angulum, in quo tres anguli sunt acuti.
Quadrilaterarum uero figurarum quadratum uocatur, quod est æquilaterũ atq; rectiangulum, parte uero altera longius, quod rectiangulum quidem est, sed æquilaterũ nõ est. Rhombos quod æquilaterum quidem est, sed rectiangulum non est.
Rhomboides autem quod in contrarium collocatus, lineas atq; angulos habet æquales. Id autẽ nec rectis angulis, nec æquis lateribus continetur.
Præter hæc omnes figuræ quadrilateræ mensuræ uocãtur Parallelæ, id est alternæ rectæ lineæ, quæ in eadem plana superficiæ collocatæ, atque utrinque in neutra parte concurrent. Petitiones sunt quinque: Nam petatur ab omni puncto in omne

punctum

punctum rectam lineam ducere. Item definitam li neam in cõtinuum rectumq; producere, aut omni centro & omni spacio circulũ designare, & omnes rectos angulos æquos sibi inuicẽ esse. Et si in duas rectas lineas linea incidens interiores ad eas par= teis duos angulos duobus rectis fecerit minores, productas in infinitum rectas lineas cõcurrere ad eas partes quibus duobus rectis anguli sunt mino res. Cõmunes animi cõceptiones sunt hæ: Quæ æqualia sunt, et sibi inuicem sunt æqualia: Et: Si ab æqualibus æqualia auferuntur, quæ relinquuntur æqualia sunt. Et: Si æqualibus addant æqualia, to ta quoq; æqualia sunt. Et: Quæ sibimet conueniũt æqualia sunt. Omnes autẽ parallelogrammi spa= cij eorum quæ circa eandem sunt diametrũ quodli bet parallelogrammorũ cum supplemẽtis duobus gnomon nominet. Magnitudo minor maioris ma gnitudinis est pars, quando minor maiorẽ magni= tudinẽ permetit. Magnitudo uero maior minoris magnitudinis multiplex est: quoties à minore ma= ior integra dimensione cõpletur. Proportio est duarũ magnitudinũ cognatarũ ad seinuicẽ ex com paratione ueniens habitudo. Proportionẽ uero ad se inuicem magnitudines habere dicunt, quæ pos= sint sese inuicẽ multiplicatæ transcendere. Eandem uero proportionẽ prima magnitudo ad secũdam, tertiaq; ad quartã magnitudinẽ tenere perhibet. Quæ uero eandem retinent proportionẽ, propor tionaliter esse dicunt. Quando uero earũ quæ sunt æquę multiplices primę quidẽ magnitudines mul tiplicem superãt, tertiæ uero magnitudinis multi=

plex secũdæ magnitudinis multiplicẽ superat: tertiæ uero magnitudinis quartę magnitudinis multiplicẽ minime trãscendit, tũc prima magnitudo ad secũdã maiorẽ proportionẽ quã tertia ad quartã tenere perhibet. Proportionalitas uero in tribus ut minimũ terminis inuenit, quũ proportionales, id est eiusdẽ magnitudinis proportiones esse dicunt præcedentes præcedẽtibus, et cõsequentibus consequẽtes. Quando aũt tres magnitudines proportionaliter fuerint cõstitutę, tunc prima ad tertiã duplicem proportionẽ quã ad secundã dicitur possidere. Quando aũt quatuor magnitudines proportionaliter fuerint constitutæ, tunc prima ad quartã triplicem proportionẽ quã ad secundã dicitur obtinere. Conuersim sumere, est sic se habere consequens ad præcedens, sicuti est præcedens ad cõsequens. Alternatim sumere est, ut sese habet præcedens ad præcedens, sic se habet cõsequens ad cõsequens. Componentẽ sumere est, ut se habet præcedens cum consequente uelut ad unũ idipsum quod consequit. Diuidentem uero sumere est, ut sese habet eminentis qua eminet ab eo q̃d consequit ad idipsum quod consequit, ita se habere eminentiã pręcedentis qua eminet ab eo quod consequitur. Retrorsum uero sumere est, ut sese habet præcedens ad eminentiã, qua præcedens eminet eò quod est consequẽs, ita se habere præcedens ab eminentia, qua præcedens eminet, ab eo quod cõsequens est. Confusa proportionalitas appellat, quando fuerit ut præcedẽs ad consequẽs, sic cõsequens ad præcedens, & ut cõsequens ad aliud aliquid, sic aliud aliquid ad præcedens. GEOMET. FINIS.

ASTRONOMIAE

COMPENDIVM EX MAGNO Aurelio Cassiodoro Senatore uiro Clarissimo.

ASTRONOMIA superest, quæ caligini humanarũ mentium magnam affert lumen si sobriè synce reque tractetur. Cuiusmodi enim est, ad cœlos usque animo cogitatione penetrare? totamque illam machinam supernam tam certa ratione perpendere? Ea itaque de qua nobis hic est institutus sermo, est astrorum lex, eò quod nesciant ullo modo aliter quam sint creata uel consistere uel moueri. Vel ut clarius aliquãto definiamus, est disciplina, quæ cursus cœlestium siderum & figuras cõtemplatur omnes, & habitudines stellarum circa se & circa terram certa ratione perquirit. In ea ferè tractantur cõmunes quidam loci, quorum nos capita attigisse satis fuerit. Sphærica positio est per quã cognoscitur positio sphæræ, qualiter se habeat. Sphæricus motus est per quem sphæræ rite mouentur. Orientalis locus, unde stellæ aliquæ oriuntur. Occidentalis, ubi nobis occidunt quædam stellæ. Septentrionalis, quo sol peruenit diebus prolixioribus. Australis est, quo sol peruenit prolixioribus nocti bus. Hemisphæriũ supra terrã, pars cœli quæ tota à nobis uidetur. Hemisphæriũ sub terra est, ut aiunt, quod uideri non potest. Numerus circulatarum stellarũ est, per quẽ cognoscitur, per quan-

tum tempus unaquæq; stella circulum suum complere potest, siue per longitudinem, siue per latitudinem. Præcedentia uel antigradatio stellarũ est, dum stella motum suum consuetum agere uidetur, & aliquando præter consuetudinem præcedit. Remotio uel retrogradatio est stellarũ, in qua stella dum motum suum agit, simul & retro submoueri uidetur. Status stellarũ est, dum stella semper moueatur, attamẽ in aliquibus locis stare uidetur. Nam & M. Varro in eo libro quem de astrologia scripsit, stellã à stando dictam affirmat. Augmentum computi est, quoties Astronomi secundum astronomicas regulas computum computo addere uidentur. Ablatio computi est, in qua secundũ astronomica præscripta cõputantes à computo iudicant auferendum. Climata sunt quasi septem lineæ ab oriente in occidentem directæ, quæ uocitatę sunt à locis quibusdam: quorũ hic est ordo: Meroë, Syene, Africa, Rhodus, Hellespontus, Mesopontus, Borysthenes.

Stella à stando.

M. AVRELII CASS.
Astronomiæ finis.

CENSORINI OPVSCVLVM DE DIE Natali, ad Q. Cerellium.

CAPVT I.

MVNERA ex auro uel quæ ex argento nitent, cælato opere nonnunquam materia cariora, cæteraq; hoc genus blandimenta fortunæ inhiant ij qui uulgò diuites uocantur: Te autem Q. Cerelli uirtutis non minus quàm pecuniarum diuitem, id est uere diuitem ista non capiunt. Non quod earũ possessionẽ uel etiam usum à te omnino abieceris, sed quod sapientiũ disciplina formatus satis liquidò cõprendisti huiusmodi sita in lubrico, bona mala'ue per se non esse, sed τῶν μέσων, hoc est bonorum malorumq; media censeri. Hæc, ut comicus ait Terent. perinde sunt, ut illius est animus, qui ea possidet. Qui uti scit, ei bona: illi qui nõ utitur bene, mala. Igitur quoniã quisq; nõ quanto plura possidet, sed quanto pauciora optat, tanto est locupletior. Opes tibi in animo maximæ, & eæ quæ nõ modo bona generis humani præcedunt, sed quæ ad deorum immortalium æternitatem penitus accedunt. Quod enĩ Xenophon Socraticus dicit: Nihil egere est deorum. Quàm minimũ autem, proximum à dijs. Quare quum dona preciosa neq; tibi per ani

mi uirtutem desint, nec mihi per rei tenuitatem superſint, quodcunq; hoc libri est, meis opibus comparatum Natalitij titulo tibi miſi, in quo nō ut pleriſq; mos est, aut hic apertè philoſophiæ præcepta ad beatè uiuendum, quæ tibi ſcriberem, mutuatus ſum, aut ex artibus rhetorū locos laudibus tuis celebrandis perſecutus: Ad id enim uirtutū omniū faſtigiū aſcendiſti, ut cuncta iſta, quæ uel ſapienter monentur, uel familiariter prædicantur, uita moribusq; ſuperaueris. Sed ex philologis cōmentarijs quaſdā quæſtiunculas delegi, quæ congeſtæ poſſent aliquantum uolumen efficere. Idq; à me uel docendi ſtudio, uel oſtentandi uoto nō fieri prædico, ne in me uetus elogiū iure dicatur: Sus Mineruam docet, quum tuo collatu ſcirem me didiciſſe: Ne beneficijs tuis uiderer ingratus, noſtrorū ueterū ſanctiſſimorū hominū exempla ſum ſecutus. Illi enim quod alimenta, patriā, lucem, ſe deniq; ipſos deorū dono habebant, ex omnibus aliquid deis ſacrabant, magis adeò, ut ſe gratos approbarent, quàm quod deos arbitrarent hoc indigere. Itaq; quū perceperant fruges, antequā ueſcerentur, deis libare inſtituerunt. Et quū agros atq; urbes deorū munere poſſiderent, partem quandam templis ſacelliſq; ubi eos colerent, dicauere. Quidā etiam pro cætera bona corporis ualitudine crinē deo ſacrū paſcebant. Ita ego à quo plura in literis percepi, tibi hęc exigua reddo libamina. Nunc quoniā liber de die natali inſcribitur, à uotis auſpicia ſumantur. Itaque hunc diem (quod ait Perſius) Numera meliore lapillo, idq; quàm ſæpiſſime facias exopto. Et quod idem

Miſcellanea dicit.

Templa.

idem ſubiungit: Funde merum genio. Hic forſitan quis quærat: Quid cauſæ ſit, ut merum fundendũ Genio, †non hoſtia faciendũ putauerit. Quod ſcilicet ut Varro teſtatur in eo libro cui titulus eſt Articulus, ſiue de numeris, id moris inſtitutiꝙ maiores noſtri tenuerũt, ut quũ die natali munus annale Genio ſoluerent, manũ à cęde ac ſanguine abſtinerẽt, ne die qua ipſi lucẽ accepiſſent, alijs demerẽt. Deniꝙ Deli ad Apollinis genitoris aram, ut Timæus autor eſt, nemo hoſtiã cædit. Illud etiam in hoc die obſeruandũ, quod Genio facta neminẽ oportet ante guſtare, ꝗ̃ eum qui fecerit. Sed hoc à quibuſdã ſæpe quæſitum ſoluendũ uidetur: quid ſit Genius, cur'ue eum potiſſimũ ſuo quiſꝙ natali ueneretur.

† Forte legendũ eſt: non hoſtiã feriendã.

De Genio & Lare. Cap. II.

Genius eſt deus, cuius in tutela ut quiſꝙ natus eſt uiuit. Siue ꝗd ut generemur, curat: ſiue quod unà gignitur nobiſcũ: ſiue etiã quod nos genitos ſuſcipiat, ac tueatur. Certe à gignendo Genius appellat̃. Eundem eſſe Genium & Larem multi ueteres memoriæ prodiderunt. In quĩs etiam C. Flaccus in libro quem ad Cæſarem de indigitamentis reliquit ſcriptum. Hunc in nos maximã, quinimò omnem habere poteſtatem creditum eſt. Nonnulli binos Genios in ijs dũtaxat domibus quæ eſſent maritæ, colendos putauere. Euclides autẽ Socraticus duplicem omnibus omnino nobis Genium dicit appoſitum: quam rem apud Luciliũ in libro Satyr. nono licet cognoſcere. Genio igitur potiſſimum per omnem ætatem quotannis ſacrificamus, quanquam

nõ solum hic, sed & alij sunt præterea dei complu-res homini uitam pro sua quisq; portione admini-culantes. Quos uolentẽ cognoscere, Indigitamen torum libri satis edocebunt. Sed omnes ij semel in unoquoq; homine numinum suorum effectum re-præsentant. Quocirca nõ per omne uitæ spacium nouis religionibus arcessuntur. Genius autem ita nobis assiduus obseruator appositus est, ut ne pun cto quidem temporis longius abscedat. Sed ab ute ro matris acceptos ad extremum uitæ diem comi-tetur. Sed quum singuli homines suos tantũmodo proprios colant natales, ego tamẽ duplici quotan-nis officio huiusce religionis astringor. Nam quũ ex te tuaq; amicitia honorem, dignitatẽ, decus at-que præsidiũ, cuncta deniq; uitæ præmia recipiã, nephas arbitror, si diem tuum, qui te mihi in hanc lucẽ edidit, meo illo proprio negligentius celebra-uero. Ille enim mihi uitam, iste fructum uitæ atque ornamentum pepererunt. At quoniam ætas à die natali initium sumit: suntq; ante hunc diem multa, quæ ad hominum pertinent originem, non alienũ uidetur de his dicere prius, quæ sunt naturæ pro-pria. Igitur quæ ueteribus de natura humana fue-rint opiniones, ex his quędam breuiter exponam.

Variæ opiniones ueterum philosophorũ de generatione. Cap. III.

PRima & generalis quæstio inter anti-quos sapientiæ studiosos uersata est, quod quum constet homines singulos ex parentũ seminibus esse procreatos, successione prolis multa secula prorogare, alij sem

per ho

per homines fuisse, nec unquam nisi ex hominibus natos, atque eorum gratia caput exordiumq; nullum extitisse arbitrati sunt. Alij uero fuisse tempus quum homines non essent, et his ortum aliquando principiumq; natura tributũ. Sed prior illa sententia, qua semper humanum genus fuisse creditur, autores habet Pythagorã Samium, & Cereium Lucanum, & Architam Tarentinum, omnesq; adeò Pythagoricos: sed & Plato Atheniensis & Xenocrates & Dicearchus Missenius, itẽ antiquæ Academiæ philosophi nõ aliud uidentur opinati. Aristoteles quoq; Stagirites, & Theophrastus, multiq; præterea non ignobiles Peripatetici idem scripserunt, eiusq; rei exempla dicunt, quod negant omnino posse reperiri, aues'ne ante oua generata sint, quum & ouum sine aue, & auis sine ouo gigni non possit. Itaq; & omniũ quæ in sempiterno isto mundo semper fuerunt, futuraq; sunt, aiunt principium fuisse nullum, sed orbem esse quendam generantium nascentiũq;, in quo uniuscuiusq; geniti initium simul & finis esse uideatur. Qui autem homines aliquos primigenios diuinitus natura factos crederent, multi fuerunt, sed aliter atque aliter hac existimatione uersati. Nam ut omittã quod fabulares Poëtarum historiæ ferunt, homines primos aut Promethei molli luto esse formatos, aut Deucalionis Pyrrhæq; duris lapidibus esse natos. Virg. Hinc lapides Pyrrhæ iactos Saturnia regna. & alibi: Quo tempore primum Deucalion uacuũ lapides iactauit in orbem. Vnde homines nati durum genus. Quidam ex ipsis sapientię professori-

bus, nescio an magis monstruosas, certe nõ minus incredibiles rationum suarũ proferunt opiniones. Anaximander Milesius uideri sibi ex aqua terraq; calefactis exortos esse, siue pisces, siue piscibus similia animalia, in ijs homines concreuisse, fœtusq; ad pubertatem intus retentos, tum demum ruptis illis uiros mulieresq;, qui iam se alere possent processisse. Empedocles autem egregio suo carmine, quod huiusmodi esse prędicat Lucretius, ut uix humana uideatur stirpe creatus, tale quiddam confirmat: Primo mẽbra singula ex terra quasi prægnante passim ædita, deinde coijsse & effecisse solidi hominis materiã, igni simul & huiusmodi permixtã. Cætera quid necesse est persequi, quæ nõ capiant similitudinem ueritatis? Hæc eadem opinio etiam in Parmenide uel inserta fuit, pauculis exceptis ab Empedocle dissentiente. Democrito uero Abderitę ex aqua limoq; primũ uisum esse homines procreatos. Nec longe secus Epicurus: is enim credidit limo calefacto uteros nescio quos radicibus terræ increuisse, et infantibus ex se editis ingenium lactis humorem natura ministrante præbuisse, quos ita educatos et adultos genus hominũ propagasse. Zenon Citiæus Stoicæ sectæ conditor, principiũ humano generi ex nouo mundo cõstitutum putauit, primosq; homines ex solo adminiculo diuini ignis id est dei prouidẽtia genitos. Deniq; etiã uulgo creditũ est, ut pleriq; genealogiæ autores sunt: quarundã gentiũ, quę ex aduentitia stirpe nõ sint, principes terrigenas esse, ut in Attica & Arcadia, Thessaliaq;, eosq; Autochthonas uocitari, ut in Italia

lia poëta cecinit, nymphas indigenasq́ faunos ne-
mora quędā tenuisse, non difficile rudis antiquorū
credulitas recepit. Nūc uero eó licētię poëticę pro
cessit libido, ut uix auditu ferēda cōfingat, post ho
minū memoriā progeneratis iam gentibus, et urbi
bus cōditis homines é terra diuersis modis editos,
ut in Attica fertur regione Erichthonius ex Vulca
ni semine homo exortus, & in Colchide uel Bœo-
tia cōsitis anguis dentibus armati partus, é quibus
mutuò inter se necatis pauci superasse tradunt, qui
in conditu Thebarū Cadmo fuerunt adiumento.
Necnon in agro Tarquiniensi puer dicitur diuini-
tus exortus nomine Tages, qui disciplinā cecinerit
extispicij, quā Lucumones Hetrurię potentes ex-
cripserūt. De semine hominis. Cap. IIII.

HActenus de prima hominum origine.
Cæterum quod ad præsentes nostros
pertinet natales eorūq́ initia, quàm po
tero cōpendiose dicā. Igitur semen un-
de exeat inter sapientiæ professores non constat.
Parmenides enim tum ex dextris, tum læuis parti
bus oriri putauit. Hipponi uero Metapōtino, siue
ut Aristoxenus autor est, Samio ex medullis pro-
fluere semen uidetur. Idq́ eò probari, quod post
emissionē pecudū si quis mares perimat, medullas
utpote exhaustas nō reperiat. Sed hanc opinionē
nōnulli refellunt, ut Anaxagoras, Democritus, &
Alcmæon Crotoniates. Hi enī post græcā conten
tionem non medullis modò, uerū et adipe multaq́
carne mares exhauriri respondent. Illud quoque
ambiguam facit inter autores opinionē, utrum ne

ex patris tantummodo ſemine partus naſcatur, ut Diogenes, & Hippon Stoiciꝗ ſcripſere. An etiã ex matris, ut Anaxagoræ, & Alcmæoni, necnon Parmenidi Empedocliꝗ & Epicuro uiſum. Quæ differens non definite ſe ſcire Alcmæon confeſſus eſt, ratus neminem poſſe perſpicere.

Quid primũ in infante formetur, et quomodo alatur in utero, & cur mas aut fœmella naſcatur. Cap. V.

EMpedocles, quem in hoc Ariſtoteles ſecutus eſt, ante omnia cor iudicauit increſcere, quod hominis uitam maxime contineat. Hippon uero caput, in quo eſt animi principale, cerebrũ. Democritus aluũ cum capite, quæ plurimum habent ex inani. Anaxagoras cerebrum, unde omnes ſunt ſenſus. Diogenes Apolloniates ex humore primũ carnẽ fieri exiſtimauit, tum ex carne neruos, & oſſa, & cæteras partes enaſci. At Stoici unà totum infantẽ figurari dixerunt, ut unà naſcatur, alaturꝗ. Sunt qui id opinentur ipſa fieri natura, ut Ariſtoteles atꝗ Epicurus. Sunt qui potentia ſpiritus ſemen comitãtis, ut Stoici ferũt uniuerſi. Sunt qui æthereum calorem ineſſe arbitrantur qui membra diſponat, Anaxagoram ſecuti. Vtcunꝗ tamen formetur infans, quemadmodum in matris utero alatur, duplex opinio eſt. Anaxagoræ enim cum alijs pluribus per umbilicum cibus adminiſtrari uidetur. At Diogenes et Hippon exiſtimauere eſſe in aluo prominẽs quiddam, quod infans ore apprehendat, ex eo alimentum ita trahat, ut quũ editus eſt ex matris uberibus.

ribus. Cæterum ut mares fœminæ'ue naſcantur, quid cauſæ eſſet, uarie ab eiſdem philoſophis proditum eſt. Nam ex quo parente ſeminis amplius fuit, eius ſexũ repræſentari dixit Alcmæon. Ex ſeminibus autem tenuioribus fœminas, ex denſioribus mares fieri Hippon affirmat. Vtrius uero parentis ſedem prius occupauerit, eius reddi naturã Democritus retulit. At inter ſe certare fœminas et mares, & penes utrũ uictoria ſit, eius habitũ referri, autor eſt Parmenides. Ex dextris partibus pro fuſo ſemine mares gigni, at lęuis fœminas, Anaxagoras Empedoclesq; conſentiunt. Quorũ opiniones ut de hac ſpecie congruæ, ita de ſimilitudine liberorũ diſpariles. Super qua re Empedoclis diſputata ratio talis profertur. Si par calor in parentũ ſeminibus fuit, patri ſimilẽ marem procreari. Si frigidus, fœminã matri ſimilem: quod ſi patris calidus erit, et frigidus matris, puerũ fore qui matris uultũ repræſentet. At ſi calidus matris, patris autẽ ſi erit frigidus, puellam futuram quæ patris reddat ſimilitudinem. Anaxagoras autẽ eius parentis faciem referre liberos iudicauit, qui ſeminis amplius contuliſſet. Cæterum Parmenidis ſententia eſt, quum dexteræ partes dederint, tunc filios patri conſimiles: quũ læuæ, tunc matri. Sequitur uero de geminis, qui ut aliquando naſcãt modo ſeminis fieri Hippon ratus, id enim quum amplius eſt quàm uni ſatis fuerit, bifariam diduci. Idipſum fermè Empedocles uidetur ſenſiſſe. Nam cauſas quidem cur diuideretur non poſuit, partum tantũmodo ait, & ſi utrunq; ſedes aquæ calidas occupauerit, utrũq;

marem nasci. Si frigidas æque, utranq; fœminam. Si uero alterum calidiorem, alterum frigidiorem, dispari sexu partũ futurũ. De conformatione aũt partus nihilominus in prima hebdomade dentes homini cadere: in secunda pubem apparere: in tertia barbam nasci: in quarta uires: in quinta maturitatem ad stirpem relinquendã: in sexta cupiditatibus tentari: in septima prudentiam linguamq; con summari: in octaua eadem manere: in decima hominem fieri morti maturũ: tamen in secũda hebdomade uel incipiente tertia, uocem crassiorẽ & inæquabilem fieri, quod Aristoteles appellat τραγίζειν, antiqui nostri hirquitallire: & inde ipsos putant hirquitallos appellari, quod tum corpus hircũ olere incipiat. De tertia autem ætate adulescentulorũ tres gradus esse factos in Græcia prius quàm ad uiros perueniatur, quod uocent annorũ xiiij. παῖδα, Mellephebon aũt xv. deinde xvi. ephebon: tunc xvij. ἔξεφηβον. Præterea multa sunt de his hebdomadibus, quæ medici ac philosophi libris mandauerunt: unde apparet ut in morbis dies septimi suspecti sint, & Crisimi dicũtur: ita per omnem uitam septimum quenq; annum periculosum & uelut crisimon esse, & climactericũ uocari. Sed ex his genethliaci alios alijs difficiliores esse dixerunt. Et non nulli eos potissimũ, quos ternæ hebdomades conficiunt, putant obseruandos. Hoc est unũ & uiginti, & xlij. & deinde lxiij. postremum lxxxiiij. in quo Staseas terminũ uitę defixit. Alij aũt non pauci unum omniũ difficillimũ climactera, prodidere anno scilicet uno dequinquagesimo, quẽ cõplent

Hirquitallire.

Crisimi dies.

Annus climactericus.

anni

anni ſepties ſepteni. Ad quã opinionẽ plurimorũ cõſenſus inclinat. Nã quadrati numeri potẽtiſſimi dicunt̃. Deniq; Plato ille, uenia cæterorũ, philoſophiæ ſanctiſs. quadrato numero annorũ uitam humanã cõſummari putauit, ſcilicet nouenario, qui cõplent annos lxxx. et unũ. Fuerũt etiã qui utrũq; recipiãt numerũ, xlix. & lxxxi. et minorẽ nocturnis geneſibus, maiorẽ diurnis aſſcriberent. Pleriq; aliter moti, duos iſtos numeros ſubtiliter diſcreuere, dicẽtes ſeptenariũ ad corpus, nouenariũ ad animũ pertinere. Hũc medicinæ corporis & Apollini attributũ, illum muſis, quia morbos animi, quos appellant pathe, muſica lenire ac ſanare conſueuerit. Itaq; primũ climactera annũ xlix. eſſe prodiderũt Vltimũ autẽ lxxxi. Mediũ uero ex utroq; permixtum, anno tertio & lx. quẽ hebdomades ix. uel vij. enneades conficiũt. Hũc licet quidã periculoſiſſimũ dicant, quod ad corpus et animũ pertineat: ego tamen cæteris non duco infirmiorem, nam utrunq; quidem ſupradictum continet numerũ, ſed neutrũ quadratũ: & ut eſt ab utroq; nõ alienus, ita in neutro potẽs: nec multos ſané, quos uetuſtas claro nomine celebrat, hic annus abſumpſit. Ariſtotelem Stagiritem reperit, ſed hunc ferunt naturalem ſtomachi infirmitatẽ crebraſq; morbidi corporis offenſiones adeò uirtute animi diu ſuſtentaſſe, ut magis mirũ ſit ad annos lxiij. eũ uitã pertuliſſe, q̃ ultra nõ pertuliſſe. Quare ſanctiſſime Cerelli, quũ iſtũ annũ qui maxime fuerat corpori formidoloſus ſine ullo incõmodo tranſieris, cæteros qui leuiores ſunt climacteras minus tibi extimeſco. Præſertim

Muſica lenit perturbationes animi.

quum in te animi potius quàm corporis naturam ſciam dominari, eosq́ uiros qui tales fuerunt non potius uita exceſſiſſe, quàm ad annũ illum lxxxi. peruenerint, in quo Plato finem uitæ et legitimum eſſe exiſtimauit, & habuit legitimũ. Hoc anno & Dionyſius Heracleotes, ut uita abiret cibo abſtinuit: & cõtrà Diogenes Cynicus cibi cruditate in coleram ſolutus eſt. Eratoſthenes quoq; ille orbis terrarum menſor, et Xenocrates Platonicus ueteris Academiæ princeps, ad eundem annum uixerunt. Non pauci etiam per animi ſpiritũ moleſtijs corporis ſuperatis limitem iſtum tranſgreſſi ſunt, ut Carneades, à quo tertia Academia eſt quæ dicitur noua: uel Cleanthes qui uno minus centum expleuit. At Xenophanes Colophonius maior annorum centum fuit. Democritum quoq; Abderitem, & Iſocratem rhetorem ferè propè ad id ætatis perueniſſe, quo Gorgiam Leontinum, quem omnium ueterũ maxime ſenem fuiſſe, & octo ſupra centũ annos habuiſſe conſtat. Quod ſi cultoribus ſapientiæ ſiue per animi uirtutem ſeu lege fati diutina obtigit uita, nõ deſpero quin te quoq; diu corpore atque animo ualentem longior maneat ſenectus. Quem enim ueterum nunc memoria ſuſcepimus, quem prudentia, uel temperãtia, uel iuſtitia, uel fortitudine, tibi anteſtare dicimus? Quis eorũ ſi adeſſet, non in te omnium uirtutum prædicationem cõferret? Quis tuis laudibus ſe poſtponi erubeſceret? Illud certe, ut arbitror, dignum eſt prędicatione, quod quum illis fermè omnibus quamuis prudentiſſimis & procul à Repub. motis non contigerit

Cerellij laus.

tigerit

tigerit sine offensione & odio plerunq; capitali uitam degere: Tu tamen officijs municipalibus functus, honore sacerdotis in principibus tuæ ciuitatis conspicuus, ordinis etiã equestris dignitate gradum prouincialium supergressus, nõ modo sine reprehensione & inuidia semper fuisti, uerum etiam omnium omnino amorẽ cum maxima gloria consecutus. Quis à te nosci aut ex amplissimo senatus ordine non expetiuit? aut ex humiliore plebis non optauit? Quis mortalium uel te uidit, uel de tuo nomine accepit, quin & loco fratris germani diligat, & iure parentis ueneretur? Quis ignorat probitatem primam, fidem summam, benignitatem incredibilem, modestiam uerecundiãq; singularem, cæteraq; humanitatis officia penes te unum esse? & quidem maiora quàm possint dignè à quoquã referri? Quare & ego his nunc commemorandis supersedebo. De eloquentia quoq; sileo, quã omnia nostrarum prouinciarum tribunalia, omnes præsides nouere: quam denique urbs Roma & auditoria sacra mirata sunt: hæc se & ad præsens & in futura secula satis ipsa nobilitat. Nũc uero quatenus de die natali scribo, meũ munus implere conabor. Tempus quoq; hodiernum quo maxime flores q̃ potero lucidissimis notis signabo, ex quo etiã primus ille tuus natalis liquidò noscetur. Tempus autem non diem tantũmodo, id est mensem uel annũ uertentem appello, sed & quod quidam lustrum, aut unum annum magnum uocant, & quod seculũ nominant. Cæterũ de æuo quod est tempus unũ & maximum, nõ multum est quod in præsentia di

catur. Est enim immensum, sine origine, sine fine, quod eodem modo semper fuit, semper futurũ est, neq; ad quenquã hominũ magis quàm ad alterum pertinet. Hoc in tria diuiditur tempora: Præteritũ, præsens, futurũ: ex quibus præteritũ initio caret: exitu futurũ. Præsens aũt quod medium est, adeò exiguũ & incõprehensibile est, ut nullam accipiat longitudinẽ, neq; aliud esse uideat, quàm transacti futuriq; cõiunctio, adeò porrò instabile ut ibidem sit nunquã, & quicquid transcurrit, à futuro decerpit. Hæc inter se tempora, anteactum dico & futurum, neq; propria sunt, neque ita ut alterum altero longius breuius'ue uideatur. Quicquid enim non habet finem, collationẽ mensuræ non recipit. Quapropter æuum neq; annorum neq; seculorũ numero, nec deniq; ullo finito temporis modulo metiri conabor. Hæc enim ad ætatem infinitam non sunt brumalis unius instar horæ. Itaq; ut secula possim percurrere, & hoc nostrum præsens designare, omissis aureis argenteisq; & hoc genus poëticis, à conditu urbis Romæ patriæ nostræ cõmunis exordiar.

De seculo. Cap. VI.

SEculum est spacium uitæ humanæ longissimũ, partu et morte definitũ. Quare qui annos triginta seculum putarũt, multũ uidentur errasse, hoc enim tempus γενεὰν uocari Heraclitus autor est, quia orbis ætatis in eo sit spacio. Orbem autem uocãt ætatis, dum natura humana ad sementem reuertitur. Hoc quidem geneas tempus, alij aliter definiere. Heraclitus annos quinque et uiginti scribit dici genean.

Zenon

Zenon triginta. Seculum autem quid ſit,uſque ad huc arbitror ad ſubtile examinatum non eſſe. Poëtæ quidem multa incredibilia ſcripſerunt, nec minus hiſtorici Græci, quamuis à uero par nõ fuit decedere: ut Herodotus, apud quem legimus Arganthonium Tharteſſiorũ regem centum & quinquaginta annorũ fuiſſe. Aut Ephorus, qui tradit Arcadas dicere, apud ſe reges antiquos aliquot ad trecentos uixiſſe annos. Verum hæc ut fabuloſa prætereo. Sed inter ipſos aſtrologos, qui in ſtellarũ ſignorumq́ ratione uerum ſcrutantur, nequaq́ etiã conuenit. Epigenes CXII annis longiſſimam uitam conſtituit. Beroſus autẽ CVI. Alij ad CXX annos produci poſſe. Quidam etiam ultra credidere. Fuere qui nõ idem putarent ubiq́ obſeruandum. Sed uarie per diuerſas regiones, prout in ſingulis ſit cœli ad circulum finitorẽ inclinatio, quod uocatur Clima. Sed licet ueritas in obſcuro lateat, tamen in unaquaq́ ciuitate quæ ſint naturalia ſecula Rituales Hetruſcorũ uidentur docere, in quibus ſcriptum eſſe fertur, initia ſic poni ſeculorum: Quo die urbes atq́ ciuitates conſtituerent, de his qui eo die nati eſſent, eum qui diutiſſime uixiſſet, die mortis ſuæ primi ſeculi modulum finire. Eoq́ die qui eſſent reliqui in ciuitate, de his rurſum eius mortem qui quàm longiſſimam egiſſet ætatem finem eſſe ſeculi ſecundi. Sic deinceps tempus reliquorum terminari. Sed ea quod ignorarent homines, portenta mitti diuinitus, quibus admonerentur, unumquodq́ ſeculum eſſe finitum. Hæc portenta Hetruſci pro aruſpicij diſciplinæ'que ſuæ

Rituales libri.

peritia diligenter obseruata in libros retulerunt. Quare in Thuscis historijs, quæ octauo eorum seculo scriptæ sunt, ut Varro testatur, & quot numero secula ei genti data sint, & transactorũ singula quanta fuerint, quibus'ue ostentis eorum exitus designati sint, continetur. Itaq; scriptum est, quatuor prima secula annorũ fuisse CV, quintũ CXXIII, sextum unum deuiginti &c. Septimum totidem: octauum tum demum agi: nonum & decimum superesse. Quibus transactis finem fore nominis Hetrusci. Romanorũ autem secula quidam ludis secularibus putant distingui. Cui rei fides si certa est, modus Ro. seculi est incertus. Temporũ enim interualla, quibus ludi isti debeant referri, nõ modo quanta fuerint retro ignoratur, sed ne quanta quidem esse debeant, scitur. Nam ita institutũ esse, ut centesimo quoq; anno fierent, id tum Antias alijq; historici autores sunt, tum Varro de scenicis originibus lib. primo ita scriptum reliquit: Quum multa portenta fierent, & murus & turris, quę sunt inter portam Collinã et Exquilinã, de cœlo essent tacta, & ideo libros Sibyllinos Decemuiri adissent, renunciauerunt, uti Diti patri & Proserpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent tribus noctibus, & hostiæ furuæ immolarent, utiq; ludi centesimo quoq; anno fierent. Itẽ T. Liuius lib. cxxxvi. Eodem anno ludos seculares Cæsar ingenti apparatu fecit, quos centesimo quoq; anno, his ẽm terminus seculi, fieri mos. Vtque centesimodecimo quoq; anno repetant, tam cõmentarij Quindecimuirorũ, quàm diui Augusti edicta testari uidentur, adeò

Antias

adeò ut Horatius Flaccus in carmine, quod de se-
cularibus ludis cantatum est, id tempus hoc modo
designauerit:

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatq; ludos,
Ter die clara totidemq; grata
Nocte frequentes.

De temporibus ad pariendum aptis.
Caput VII.

SVperest dicere de tēporibus, quibus
partus soleant esse ad nascendū matu-
ri. Qui locus eò mihi cura maiore tra-
ctandus est, quod quædam necesse est
de Astrologia, Musicaq;, & Arithmetica attinge-
re. Iam primum quoto post conceptionem mense
infantes edi soleant, frequenter agitatum inter ue-
teres nondum conuenit. Hippon Metapontinus
à septimo ad decimū mensem nasci posse existima-
uit. Nam septimo partū iam esse maturū, eò quod
in omnibus numeris septenarius plurimū possit.
Siquidem septimis à partu formentur dentes men-
sibus, additisq; alteris recti consistere incipiamus,
& post septimū cadant annum, decimoquarto au-
tem pubescere soleamus. Sed hanc à septem mensi-
bus incipientem maturitatem usq; ad decimū per-
ductam, ideo quod in alijs omnibus hæc eadem na-
tura est, ut septem mensibus annis'ue, tres aut men-
ses, aut anni ad consummationem accedant. Nam
dentes septem mensiū infanti nasci, & maxime de-
cimo perfici mense, septimo anno primos eorū ex-
cidere, decimo ultimos, post decimūquartū annū

nonnullos. Sed omnis intra decimumſeptimũ annum pubeſcere. Huic opinioni in parte aliqui repugnant: alij in parte conſentiũt. Nam ſeptimo menſe parere mulierẽ poſſe plurimi affirmãt, ut Theano Pythagoricus, Ariſtoteles Peripateticus, Diocles, Euenus, Stratõ, Empedocles, Epigenes, multiq́ præterea: quorum omnium cõſenſus Euriphonem Gnidium nõ deterret, idipſum intrepide pernegantem. Contra eum fermè omnes Epicarmũ ſecuti, octauo menſe naſci negauerunt. Diocles tamen Cariſtius & Ariſtoteles Stagirites aliter ſentiunt. Nono autem et decimo menſe, tum Chaldæi plurimi, & idem ſupranominatus Ariſtoteles edi poſſe partum putauerũt. Neque Epigenes Bizantius nono fieri poſſe contendit. Nec Hippocrates Cous decimo. Cæterum undecimo menſe Ariſtoteles ſolus recipit: cæteri uniuerſi improbarunt. Sed nunc Chaldæorũ ratio breuiter tractanda eſt, explicandũq́ cur ſeptimo menſe, & octauo, & decimo tantum poſſe naſci homines arbitrentur.

Rationes Chaldæorum de tempore partus. Cap. VIII.

Ante omnia igitur dicunt actum uitamq́ noſtram ſtellis tam uagis quàm ſtantibus eſſe ſubiectam, earumq́ uario multiplicíq́ curſu genus humanum gubernari. Sed ipſarum motus ſchemataq́ & effectus à Sole crebro immutari. Nam ut aliæ occaſum, nonnullæ ſtationem faciant, nosq́ oĩes hac ſua diſparilitate pariter afficiant, Solis fieri potentia. Itaque eum qui ſtellas ipſas quibus mouemur permouet,

animam

animã nobis dare, qua regamur, potentiſſimumq́ in nos eſſe, moderariq́ quando poſt conceptionẽ ueniamus in lucem. Sed hoc per tres facere conſpectus. Quid autem ſit conſpectus, & quot eius genera, ut liquidò perſpici poſſit, pauca prædicam.

De circulo Zodiaci, & de aſpectibus.

Caput IX.

CIrculus eſt, ut ferunt, ſignifer, quẽ Græci uocant Zodiacon, in quo ſol & luna cæteræq́ ſtellæ uagæ feruntur. Hic in duodecim partes totidem ſignis redditas æquabiliter diuiſus eſt: eum ſol annuo ſpacio metitur, ita in unoquoq; ſigno fermè unũ menſem moratur. Sed ſignũ quodlibet cum cæteris ſingulis habet mutuum conſpectum, non tamen uniformem cum omnibus: nam ualidiores alij, infirmiores alij habenť. Igitur quo tẽpore partus concipiť, ſol in aliquo ſigno ſit neceſſe eſt & in aliqua eius particula, quem locum cõceptionis proprie appellant. Sunt autem hæ particulæ in unoquoq; ſigno tricenę: totius uero zodiaci numero CCCLX, has μοίρας Græci uocant: & hæ particulæ nobis uelut fata ſunt, nam qua potiſſimũ oriente naſcantur plurimum refert. Sol ergo quum in proximum ſignũ tranſcendit, locum illum conceptionis aut imbecillo uidet cõſpectu, aut etiã nec conſpicit. Nam plures proximantia ſibimet Zodia inuicem ſe uidere omnino negauere: at quum in tertio eſt ſigno, hoc eſt uno medio interpoſito, tum primum illum locũ unde profectus eſt uidere dicitur. Sed ualde obliquo & inualido lumine, qui conſpectus dicitur κατ

ταεξάγωνον, quia ſextam partem circuli ſuccedit. Natura cuius à primo Zodio ad tertiũ, ſic à tertio ad quintum, inde porrò ad ſeptimum, ac deinceps alternæ lineæ emittant hexagoniæ, qui lateralis forma in eodem circulo ſcriberetur. Hunc quidã conſpectum non uſquequaꝗ receperunt, quod minimum ad maturitatem partus uidebatur conferre. Quum uero in quartum ſignũ peruenit, & media duo ſunt, uidet κατατετράγωνον, quoniã illa linea qua uiſus pertendit, quartam partem orbis abſcidit. Quum autem in quinto eſt, tribus interiacentibus medijs, κατατρίγωνον aſpicit, nam tertiã ſigniferi partem uiſus ille metitur, quæ duæ uiſiones τετράγωνοι & τρίγωνοι perquàm efficaces incrementũ partus multum adminiculant. Cæterum à loco ſexto conſpectus omni caret efficientia: eius enim linea nullius polygoniæ efficit latus. At à ſeptimo Zodio quod eſt contrarium, pleniſſimus potentiſſimusꝗ cõſpectus quoſdam iam maturos infantes educit, qui ſeptimeſtres appellant, quia ſeptimo menſe naſcuntur: at ſi intra hoc ſpacium matureſcere uterus non poterit, octauo menſe non editur, ab octauo enim ſigno ut à ſexto inefficax uiſus, ſed uel nono menſe uel decimo. Sol enim à nono Zodio particulã conceptionis rurſum conſpicit κατατρίγωνον, & à decimo κατατετράγωνον, qui cõſpectus ut ſupra iam dictum eſt perquàm efficaces ſunt. Cæterũ undecimo nõ putant naſci, quia languido iam radio infirmũ lumen καταεξάγωνον mittatur, multo minus duodecimo, unde conſpectus pro nullo habetur. Itaꝗ ſecundũ rationem hanc ἑπτάμηνοι naſcuntur κατὰ διάμετρον, ἐννεάμηνοι

μινοι autem καταξίγωνον, δεκάμινοι uero καταπεντάγωνον.

Opiniones Pythagoricæ de partu.
Caput X.

HAec Chaldæorum sententia explicata transeo ad opinionem Pythagoricam, Varroni tractatã in libro qui uocatur Tubero, & intus scribitur de origine humana, quæ quidem ratio præcipue recipienda ad ueritatem proxime uidetur accedere. Alij enim pleriq; quum omnes partus nõ uno tempore fiant maturi, una tamẽ eademq; tempora omnibus conformandis dederunt, ut Diogenes Apolloniates, qui masculis ait corpus quatuor mensibus formari, & fœminis quinque: & Hippon qui diebus sexaginta infantem scribit formari, et quarto mense carnem fieri concretã, quinto ungues capillum'ue nasci, septimo iam hominem esse perfectum. Pythagoras autẽ quod erat credibilius, dixit partus esse genera duo, alterum septem mensium, alterum decem: sed priorem laijs dierum numeris cõfirmari, alijs posteriorẽ: eos uero numeros qui in unoquoque partu aliquid ferunt mutationis, dum aut semẽ in sanguinẽ, aut sanguis in carnem, aut caro in hominis figuram conuertitur, inter se collatos rationem habere eam quam uoces habent, quæ in Musica σύμφωνοι uocantur. Sed hæc quo sint intellectu apertiora, prius aliqua de Musicæ regulis huic loco necessaria dicentur, eò quidẽ magis quod ea dicam, quæ ipsis Musicis ignota sunt. Nam sonos sci enter tractauère, & congruenti ordine reddidere illos. Ipsis autem sonis motuũ modum mensurãq;

inuenere Geometræ magis quàm Musici.

De Musica. Cap. XI.

Musica igitur est scientia bene modulandi. Hæc aũt in uoce: sed uox aliâs grauior mittitur, aliâs acutior. Singulæ tamen uoces simplices, & utcũq; emissæ φθόγγος uocãtur. Discrimen uero quo alter φθόγγος acutior est, alter grauior, appellatur διάστημα. Inter infimam summãq; uocem multa esse possunt in ordine posita, qua diastemata alia alĳs maiora minoráue, ut est illud quod tonon appellant, uel hoc minus hemitonion, uel duorum trium'ue ac deinceps aliquot tonorũ interuallũ. Sed non permixtæ uoces omnes cum alĳs ut libet iunctæ concordabiles in cantu reddunt effectus: ut literæ nostræ si inter se passim iungantur, & nõ congruenter, sæpe nec uerbis nec syllabis copulandis concordabunt: Sic in Musica certa quædam sunt interualla, quæ symphonias possint efficere. Est autẽ symphonia duarum uocum disparium inter se iunctarũ dulcis concentus. Symphoniæ simplices ac primæ sunt tres, quibus reliquæ constant. Vna duorum tonorum & hemitonĳ habens διάστημα, quæ uocatur Diatessaron. Alia trium & hemitonĳ, quam uocant Diapente. Tertia est Diapason, cuius diastema continet duas priores: est enim sex tonorũ, ut Aristoxenus Musiciq; asseuerant: uel quinque et duorũ hemitoniorum, ut Pythagoras Geometræq; demonstrant, tria hemitonia tonum complere non posse, quare etiam huiusmodi interuallum Plato abusiue hemitonion, proprie Diesis uel Lima appellat.

Symphonia quid.

Nunc

Nunc uero ut liquidè appareat quemadmodũ uoces nec sub oculos nec sub tactum cadentes habere possint mensuras, admirabile Pythagoræ referam commentum, qui secreta naturæ scrutando reperit phthongos Musicorum conuenire ad rationem numerorum, nam chordas æque crassas pariq; longitudine diuersis ponderibus tetendit, quibus sæpe pulsis, phthongis ad illam symphoniam concordantibus pondera mutabat inter se collata, et identidem frequẽter expertus, postremo deprehendit tunc duas chordas concinere, id quod est diatessaron, quum earum pondera inter se collata rationem haberent, quam tria ad quatuor, quem phthongon Arithmetici, Græci epitriton uocant, Latini supertertiũ: ad eam symphoniam quæ diapente dicitur, ubi inuenitur ponderum discrimen in sesquitertia portione, quã duo faciunt ad tria collata, quod hemiolion appellãt. Quũ altera chorda duplo maiore pondere quàm altera tenderetur, et esset displasion, locus diapason sonabat: hoc & in tibijs si cõueniret tentauit, nec aliud inuenit. Nam quatuor tibias pari cauo parauit, impares longitudine: primam, uerbi causa, longam digitos sex, secundam tertia parte addita, id est digitorum octo, tertiam digitorũ nouem, sescuplo longiore quàm primam: quartam uero septem digitorum, quę primam longitudine duplicaret. His itaq; inflatis, & binarum facta collatione, omnium Musicorum auribus approbauit, primã & secũdam reddere eam conuenientiam, quam reddit diatessaron symphonia: ibiq; esse portionem supertertiã. Inter primã

uero ac tertiam tibiam, ubi sescupla portio est, reso nare diapente. Primæ autem & quartæ interuallũ quod habet duplam portionẽ, diastema facere dia pason. Sed inter tibiarum chordarumq; naturam hoc interest, quod tibiæ incremento longitudinis fiunt grauiores, chordæ aũt augmento additi pon deris acutiores: utrobiq; tamẽ est eadẽ proportio.

Pythagoræ opinio de partu. Cap. XII.

His expositis forsitan quidẽ obscure, sed quàm potui lucidissime, redeo ad propositum, ut doceam quid Pythagoras de numero dierum ad partus pertinen tium senserit. Primum ut supra memoraui, genera liter esse partus omnino duos dixit. Alterũ minorem, quem uocant septimestrem, qui ducentesimo & decimo die post conceptionem exeat ab utero. Alterum maiorẽ decimestrem, qui edatur die ducentesimo septuagesimoquarto. Quorum prior ac minor senario maxime continetur numero. Nam quod ex semine conceptũ est, sex, ut ait, primis die bus humor est lacteus. Deinde proximis octo, san guineus: qui octo quum ad primos sex accesserũt, faciunt primàm symphoniam diatessaron. Tertio gradu nouem dies accedũt, iam carnem facientes. Hi cum sex illis primis collati, sescuplam faciunt ra tionem, & secũdam symphoniam diapente. Tum deinceps sequentibus duodecim diebus fit corpus iam formatum, horum quoq; ad eosdem sex colla tio tertiam diapason reddit, symphoniã duplici ratione subiectam. Hi quatuor numeri, sex, octo, no uem, duodecim, cõiuncti faciunt dies trigintaquin que.

que. Nec immerito senarius fundamentũ gignendi est. Nam eum τέλιον Græci, nos autem perfectũ uocamus, quod eius partes tres, sexta, & tertia, & dimidia, id est unus, & duo, & tres eundem ipsum perficiunt. Sed ut initia seminis, & lacteũ illud conceptionis fundamentũ primitus hoc numero absoluit: sic hoc initium formati hominis, & uelut alterũ maturescendi fundamentum, quod est quinque & triginta dierum sexies ductum, quum ad diem ducentesimumdecimũ peruenerint, maturũ procreatur. Alter autẽ ille partus qui maior est, maiore numero cõtinetur, septenario scilicet, quo rota humana finitur: & ut Solon scribit, & Iudæi in dierum omnium numeris sequũtur, & Hetruscorum libri Rituales uidentur indicare. Hippocrates quoque aliiq; medici in corporum ualetudinibus nõ aliud ostendunt, nam septimũ quenq; diem crisimon obseruant. Itaq; ut alterius partus origo in sex est diebus, post quos semen in sanguinem uertitur, ita huius in septem: & ut ibi quinq; & triginta diebus infans membratur, ita hic proportio est diebus ferè quadraginta. Quare in Græcia dies habẽt quadragesimos insignes, nanq; prægnans ante diem quadragesimum non procedit in fanum: & post partũ quadraginta diebus pleræq; fœtæ grauiores sunt, nec sanguinem interdum continent, & paruuli ferè per hos ferè morbidi sine risu nec sine periculo sunt: ob quam causam, quum is dies præterit, diem festum solent agitare, quod tempus appellant τεσσαρακοστόν. Hi igitur dies quadraginta per septem illos initiales multiplicati, fiunt dies ducenti octoginta,

id eſt hebdomades quadraginta. Sed quoniam ul timæ illius hebdomadis primo die editur partus, ſex dies decedunt, & ducenti ſeptuagintaquatuor obſeruantur. Qui numerus dierum ad tetragonũ illum Chaldęorũ conſpectum ſubtiliter congruit. Nam quum ſignferũ orbem diebus tercentis ſexa gintaquinque & aliquot horis ſol circumeat, quar ta neceſſe eſt parte dempta, id eſt diebus ſeptua- gintaduobus aliquot'que horis, tres quadras reli- quis diebus ducentis ſeptuagintaquatuor non ple nis percurrat, uſq; dum perueniat ad id loci, unde conceptionis initium quadratus aſpiciat. Vnde au tem mens humana dies iſtos cõmutationis ſpecula ri et arcana naturæ rimari potuerit, nemo miretur. Hæc enim frequens medicorum experientia per- uidit. Qui quũ multos animaduerterent ſemen nõ retinere cõceptum, compertũ habuerunt, id quod intra ſex dies ſeptem'ue eijciebatur eſſe lacteum & uocari ἔκρυσιν, quod poſtea autem, ſanguinem, idq; ἐκτρωμὸν appellãt. Quod uero ambo partus uiden- tur paribus dierum numeris cõtineri, Pythagoras in partẽ laudat, tamen à ſecta non diſcrepat. Duos enim impares CCIX dicit expleri, ad quorũ con- ſummationẽ aliquid ex ſequẽtibus accedere, quod tamen diem ſolidum non afferat, cuius exemplum uidemus tam in anni quàm menſis ſpacio ſeruaſſe numerũ, quum et anni imparem dierũ CCCLXV numerum aliquanto cumulauerit, & menſi lunari ad dies undetriginta aliquid addiderit. Nec uero incredibile eſt, ad noſtros natales Muſicam perti- nere. Hæc enim ſiue in uoce tantũmodo eſt, ut So- crates

crates ait: siue ut Aristoxenus, in uoce & corporis motu: siue in his & prætetea in animi motu, ut putat Theophrastus: certe multum obtinet diuinitatis, & animis permouendis plurimum ualet. Nam nisi grata esset immortalibus dijs, qui ex anima cõstant diuina, profecto ludi scenici placandorũ deorum causa instituti non essent, nec tibicen omnibus supplicationibus in sacris ædibus adhiberetur: nõ cum tibicine triumphus ageretur Marti: nõ Apollini cithara, nõ Musis tibiæ, cæteraq; id genus essent attributa: nõ tibicinibus per quos numina placanĩ, esset permissum ut ludos publice facere, aut uesci in capitolio, aut quinquatribus minusculis, id est Idibus Iunijs urbes uestitu quo uellent, personatis temulentisq; peruagari. Hominum quoque mentes & ipsæ, quamuis Epicuro reclamante, diuinẽ suam naturam per cantus agnoscunt. Deniq; quo facilius sufferant laborem, uel in nauis metu, à uectore symphonia adhibetur. Legionibus quoq; in acie dimicantibus etiam metus mortis classico depellitur. Ob quam rem Pythagoras ut animum sua semper diuinitate imbueret, prius quàm se somno daret, & quũ esset experrectus, cithara, ut ferunt, cantare cõsueuerat. Et Asclepiades medicus phreneticorum mentes morbo turbatas, sæpe per symphoniam suæ naturæ reddidit. Erophilus aũt artis eiusdem professor, uenarum pulsus rhythmis musicis ait moueri. Itaque si & in corporis & animi motu est harmonia, proculdubio à natalibus nostris Musica non est aliena.

Tibicen in sacris.

Pythagoras ad citharam.

De spacio terræ & siderum distantia.

Caput XIII.

AD hoc accedit quod Pythagoras prodidit, hunc totum mundum musica factum ratione. Septẽq; stellas inter cœlum & terram uagas, quæ mortaliũ geneses moderant̃, motum habere εὔρυθμον, & interualla musicis diastematis motum habere congrua, sonitusq; uarios reddere, pro sua quoq; altitudine ita concordes, ut dulcissimã quidem concinant melodiam, sed nobis inaudibilem propter uocis magnitudinem, quam non caperent aurium nostrarũ angustię. Nam ut Eratosthenes geometrica ratione colligit, maximum terrę circuitum esse stadiorũ CCLII milium, ita Pythagoras quot stadia inter terram et singulas stellas essent iudicauit. Stadium autem in hac mundi mensura id potissimum intelligendum est, quod Italicũ uocãt, pedũ DCXXV. Nam sunt præterea & alia longitudine discrepantia, ut Olympicũ, quod est pedum DC. Item Pythicum, pedum mille. Igitur à terra ad lunã Pythagoras putauit esse stadiorũ circiter CXXVI milia, idq; esse toni interuallũ. A luna autem ad Mercurij stellam, quæ Stilbon uocatur, dimidium eius uelut hemitonion. Hinc ad Phosphoron, quæ est Veneris stella, ferè tantundem, hoc est aliud hemitonion: inde porrò ad solem ter tantum quasi tonũ & dimidiũ, quod uocatur diapente. A luna autem duos & dimidium, quod est diatessaron. A sole uero ad stellam Martis, cui nomẽ est Pyrois, tantundem interualli esse, quantum à terra ad lunam, idq;

Melodia stellarũ inaudibilis.

facere

facere tonon. Hinc ad Iouis stellã, quæ Phaëthon appellatur, dimidiũ eius, quod facit hemitonion. Tantundem à Ioue ad Saturni stellam, cui Phanon nomen est, idem aliud hemitonion. Inde ad summum cœlum ubi signa sunt perinde hemitonion. Itaꝗ à cœlo summo ad solem diastema esse diatessaron, id est duorum tonorũ & dimidij. Terræ autem summitate ab eodẽ cœlo tonos esse sex, in quibus sit diapason symphonia. Præterea multa quæ musici tractant, retulit. Stellas & hunc omnẽ mundum enharmonion esse ostendit. Quare Dorilaus scripsit, esse mundum organum dei. Alij addidere esse idem azonion, quia septẽ sint uagæ stellæ, quę plurimum moueantur. Sed his omnibus subtiliter tractandis hic locus nõ est: quæ si uellem in unum librũ separatim congerere, tamen in angustijs uersarer: quin potius quoniã me longius dulcedo Musicæ abduxit, ad propositum reuertor.

Distinctiones ætatum hominis, secundũ opiniones multorum. Cap. XIIII.

IGitur expositis his quæ ante diem natalem sunt, nũc ut climacterici anni noscant, quid de gradibus ætatis humanæ sensum sit dicã. Varro quinque gradus ætatis æquabiliter putat esse diuisos, unũquenque scilicet præter extremũ in annos quindecim. Itaꝗ primo gradu usque ad annum quartumdecimum Pueros dictos, ꝗd sint puri, id est impubes. Secundo ad tricesimũ annũ Adolescentes, ab adolescendo sic nominatos. In tertio gradu qui erat usꝗ quinque et quadraginta annos Iuuenes appel

Quinque ætatũ gradus.

r

latos, eo quod Rempub. in re militari possent iuua re. In quarto, usq; ad sexagesimũ annum Seniores uocitatos, quod tunc primum senescere corpus incipiat. Inde usque in finem uitæ uniuscuiusq; quintum gradum factum, in quo qui esset Senex appellatur, quod ea ætate corpus senio laboret. Hippocrates medicus in septem gradus ætatũ distribuit finem uitæ uniuscuiusq;. Primæ putauit finem esse septimum annum. Secundę quartumdecimũ. Tertiæ duodetrigesimum. Quartæ trigesimũquintũ. Quintæ quadragesimumsecundum. Sextæ quinquagesimumsextum. Septimæ nouissimũ annum uitæ humanæ. Solon autem partes fecit decem, & Hippocratis gradus tertiũ, & sextum, & septimũ singulos bifariam diuisit, ut unaquæq; ætas annos haberet septenos. Staseas Peripateticus ad has Solonis decem, hebdomadas addidit duas, & spaciũ plenæ uitæ quatuor & octoginta annorum esse dixit. Quem terminum uitæ siquis præterit, facere idem quod stadiodromi ac quadrigæ faciunt, quũ extra finem procurrũt. Hetruscis q; libris fatalem ætatem hominis duodecim hebdomadibus descri bi Varro cõmemorat, quæ ad decies septenos annos posset fatalia deprecãdo rebus diuinis proferre: ab anno autẽ septuagesimo nec postulari debere, nec posse à dijs impetrare. Cæterũ post annos octogintaquatuor à mente sua homines abire, neque his fieri prodigia. Sed ex his omnibus proxime uidentur accessisse naturam, qui hebdomadibus humanam uitam emensi sunt. Ferè enim post septimum quenq; annum articulos quosdam, & in
his

his aliquid noui natura ostendit, ut in elegia Solonis cognoscere datur. At enim temporũ ueterum si reuoluantur annales, longè magis incertò inuenietur. Primos enim ludos seculares exactis regibus post Romam conditam annis CCL à Valerio Publicola institutos esse, ad XL uirorum commentarios CCXCIX, M. Valerio, Spurio Virginio Consulibus, anno post urbem cõditam octauo et quadragesimo: ut uero in commentarijs XII uirorum scriptum anno CCCC & X, M. Valerio Coruino, & C. Petilio Coss. tertij ludi fuerũt, Antiate Liuioq; autoribus, P. Claudio Pulchro, L. Iunio pullo Coss. anno quingentesimo duodeuigesimo. P. Cornelio Lentulo, C. Liuio Varro Consulibus. De quartorũ ludorum anno triplex opinio est. Antias enim & Varro & Liuius relatos esse prodiderunt, L. Martio Censorino, M. Manlio Consulibus, post Romam cõditam anno DCV. At Piso Censorius, & Gn. Gellius, sed & Cassius Hemina, qui illo tempore uiuebat, post annum factos tertium affirmant, Gn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico Cõsulibus, id est DC anno tertio. In Quindecimuirorũ autem cõmentarijs notantur sub annis DCXXIX, Aemilio Lepido, L. Aurelio Horeste Coss. Quintos ludos Furnio C. Iunio Syllano Coss. DCCXXXVII, Cæsar Augustus & Agrippa fecerunt. Sextos autem fecit T. Claudius Cæsar se tertio, & L. Vitellio tertio Coss. anno DCCCC. Septimos Domitianus se XIIII, & L. Minutio Rufo Coss. anno DCCCXLI. Octauos Imperator Septimius, &

inde Aurelius Antoninus Cilone & Iubeno Con fulibus, anno DCCCLVII. Hinc animaduertere licet neque post C annos uti referuntur ludi statu tum esse seculum, neq; post CX. Quorum etiam si alterutrum retro fuisset obseruatum, non tamen sa tis id argumenti esset, quo quis his ludis secula dis cerni constanter affirmet. Præsertim quum ab ur bis primordio ad reges exactos annos CCXLIIII factos esse autor sit nemo, quod tempus proculdu bio naturali maius est seculo. Quod si quis credit lu dis secularibus sola nominis origine inductos sciat seculares dici potuisse, quod plerunq; semel fiant hominis ætate, ut multa alia, quæ rarò sunt, post se culum euenire loquentium consuetudo usurpat.
Sed nostri maiores quod natura seculum quantū esset exploratum non habebant, ad certum modu lum annorum centum statuere, testis est Piso, in cu ius annali septimo sic scriptum est: Roma condita anno CCLVIII. Seculum accipit his Consuli bus, qui proximi sunt Consules. M. Aemilius M. Filius, Lepidus, Caius Pompilius II absens. Sed ut hunc annorum numerum constituerent nostri, nonnihil causæ fuit. Primum quod multos suorum ciuium ad hanc ætatem producere uidebant. De inde quod Hetruscos, quorum prima secula centū fuere annorum, etiam hic & in alijs plerunq; imita ri uoluerūt. Præterea fieri potest, quod refert Var ro, quod Diascorides astrologus scripsit Alexan driæ inter eos qui mortuos solent conseruare, ho minem plus centum annis uiuere nō posse. Id cor humanum declarare eorū qui integri perierint si
ne cor

ne corporis tabe: ideo quod multis annis pepen-
dit cor hominis incremēta ætatis & diminutiones
conſeruet, & anniculi pendere duas drachmas: bi
mi quatuor, & ſic in annos ſingulos uſque ad quin
quageſimum accedere binas, ab his centum drach
mis, atque anno quinquageſimo item decedere in
unoquoq; binas, ex quo perſpicuum ſit centeſimo
anno redire ad anni primi pōdus, nec longius poſ-
ſe produci. Quoniam igitur ciuile Romanorum ſe
culum centum annis tranſigitur, ſcire licet in deci-
mo ſeculo & primum natalem tuum fuiſſe, & ho-
diernum eſſe. Quot autem ſecula urbi Romæ de-
beantur, dicere meum nō eſt. Sed quid apud Var
ronem legerim nō tacebo, qui libro Antiquitatum
duodeuigeſimo ait fuiſſe Vectium Romæ in augu
rio non ignobilem, ingenio cuius doctori in diſce
ptando parem, eum ſe audiuiſſe dicentē: Si ita eſ-
ſet ut tradebant hiſtorici de Romuli urbis conden
dæ augurijs, ac duodecim uulturibus, quoniā cen-
tum uiginti annos incolumis præterijſſet Po. Ro.
ad mille & ducentos peruenturum.

De annis maioribus. Cap. XV.

HActenus dictum de ſeculo, nunc de an
nis maioribus dicam, quorum magni-
tudo adeò diuerſa etiam gentibus ob-
ſeruata, quàm autoribus tradita eſt, ut
alij unū annū magnū eſſe in annis uertētibus duo-
bus, alij in multis milibus annorum arbitrati ſint,
quod quale ſit, iam hinc conabor abſoluere. Vete-
res in Græcia ciuitates quū animaduerterent, dum
ſol in annuo curſu orbem ſuum circuit, lunam no-

uam interdum terdecies exoriri, idq; sæpe alternis fieri arbitrati sunt, lunares duodecim menses & dimidiatum ad annum naturalem conuenire. Itaque annos ciuiles sic statuerũt, ut intercalando facerēt alternos duodecim mensium, alternos tredecim: utrunq; annum separatum uertentem, iunctos ambo annum magnum uocantes. Idq; tempus trietērida appellabant, quod tertio quoq; anno redibat: penteterida uero nominabant, quod quinto quoq; anno. Qui annus magnus ex quadriennio cõmodior uisus est. Solis annum constare ex diebus tercentis sexagintaquinq;, & diei parte circiter quarta, quæ primum quadriennium conficeret. Quare Agon & in Helide Ioui Olympio, & Romę Capitolino, quinto quoque anno redeunte celebratur. Hoc tempus quod ad solis modo cursum nec ad lunæ congruere uidebatur, duplicatũ est, & octoëteris facta, quæ nũc enneateris uocitata, quia primus eius annus nono quoq; anno redibat. Hunc circuitum uerè annum magnum esse pleraq; Græcia existimauit, quod ex annis uertentibus solidis constaret, ut proprie in anno magno fieri par est. Nam dies sunt solidi uno minus centum, anniq; uertentes solidi octo. Octoëterida uulgo creditum est ab Eudoxo Cnidio institutam. Sed hanc Leostratũ Tenedium primum ferunt composuisse, & postea alij aliter, qui mensibus uariè intercalandis suas octoëteridas protulerunt: ut fecit Harpalus, Nauteles, Mnestratus. Item alij in quis Doxitheus, cuius maxime Octoëteris Eudoxi inscribitur. Ob hoc multæ in Græcia religiones hoc interuallo tempo

Annus uertens.
Annus magnus

ris

ris summa cerimonia coluntur. Delphis quoq; ludi, qui uocãtur Pythia, post annũ octauũ olim con ficiebant. Proxime hanc magnitudinẽ quæ uocat Dodecaëteris ex annis uertẽtibus duodecim, huic anno Chaldaico nomen est, quem genethliaci nõ ad solis lunæq; cursus, sed ad obseruationes alias habent accõmodatum, quod in eo dicãt tempestates frugumq; prouentus, ac sterilitates, morbosq; circumire. Præterea sunt anni magni complures, ut Metonticus, quẽ Meton Atheniensis ex annis unum & uiginti constituit, eoq; Decaënneateris appellatur, & intercalatur septies, in eóque anno sunt dierum sex milia & CCCCXL. Est & Philolai Pythagorici annus, ex annis quinquaginta nouem, in quo sunt menses intercalares uiginti & unus. Item Calippi, ex annis septuaginta sex, ita ut menses duodetriginta intercalarentur. Et Democriti, ex annis octogintaduobus, quũ intercalares sint duodetriginta. Sed et Hipparchi, ex annis trecentis quatuor, in quo intercalantur centies decies bis. Hæc annorum magnitudo eò discrepat, quod inter astrologos non conuenit, quanto uel sol plus quàm tercentos sexagintaquinque dies in anno cõficiat, uel luna minus quàm triginta in mense. Ad Aegyptiorum uero magnum annum luna nõ pertinet, quem Græci κυνικὸν, latine canicularem uocamus: propterea quod initiũ illius sumitur, quũ primo die eius mensis, quem uocant Aegyptij θώθ, caniculæ sidus exoritur, nam eorum annus ciuilis solus habet dies trecentos sexagintaquinque, sine ullo intercalari: itaque quadriennium eo fit, ut anno

MCCCLXI ad idem reuoluatur principium. Hic annus etiam Heliacus à quibuſdã dicitur, ab alijs ὁ ἐνιαυτός. Eſt præterea annus, quẽ Ariſtoteles maximum potius ꝙ magnũ appellat, quẽ ſolis & lunæ uagarumꝙ quinque ſtellarũ orbes conficiunt, quũ ad idem ſignum ubi quondam ſimul fuerunt, unà referuntur. Cuius anni hyems ſumma eſt cataclyſmos, quam noſtri diluuionem uocant. Aeſtas autem Ecpyroſis, quod eſt mundi incendiũ: nam in his alternis temporibus mundus tum exigneſcere tum exaqueſcere uidetur. Hunc Ariſtarchus putauit eſſe annorũ uertentiũ duum milium CCCCLXXXIIII. Aretes Dyrrachinus quinque miliũ DLII. Herodotus & Linus decẽ miliũ DCCC. Dion tredecim DCCCCLXXXIIII. Orpheus centum uiginti. Caſſandrus tricies ſexies centum milium. Alij uero infinitum eſſe, nec in ſe unquam reuerti exiſtimauerũt. Sed horum omnium penteteridas maxime notandas temporibus Græci obſeruant, id eſt quaternorum annorum circumitus, quos uocãt Olympiadas, & nunc apud eos ducenteſima quinquageſimaquarta Olympias numeratur, eiusꝙ annus hic ſecundus. Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod luſtrum appellabant. Ita quidem à Seruio Tullio inſtitutũ, ut quinto quoque anno cenſu ciuium habito luſtrum conderẽt. Sed non ita à poſteris ſeruatum: Nam quum inter primum à Seruio rege conditũ luſtrum, et id quod ab Imperatore Veſpaſiano quinto & Cæſare tertio Coss. factũ eſt, anni interfuerint paulò minus DCL, luſtra tamen per ea tẽpora non plura quàm

Annus maximus.

Luſtrum.

ſeptuagin

ſeptuagintaquinque ſunt facta, & poſtea planè fie ri deſierunt. Rurſus tamen annus idem magnus per Capitolinos Agonas cœptus eſt diligentius ſeruari. Quorum agonũ primus à Domitiano inſtitutus fuit die duodecimo eius & Sergij Cornelij Dolabellæ Conſulatu. Itaq; hoc nũc anno quo celebratus eſt Agon unus de quadraginta numeratur. Quod ad annos pertinet magnos in præſentia ſatis dictum eſt: Nunc de annis uertentibus dicendi locus uidetur.

De annis uertentibus. Cap. XVI.

ANnus uertens eſt natura, dum ſol percurrens duodecim ſigna eodem unde profectus eſt redit. Hoc tempus quot dierum eſſet, ad certum nondum aſtrologi reperire potuerunt. Philolaus annum naturalem dies habere prodidit trecentos ſexagintaquatuor et dimidiatum. Aphrodius trecentos ſexagintaquinque, et dierum duorũ & uiginti partem unadeſexageſimam. Harpalus autem trecentos ſexagintaquinque, & horas æquinoctiales tredecim. At noſter Ennius trecentos ſexagintaſex. Pleriq; præterea incomprehenſibilem quidem & inenumerabilem eſſe exiſtimauerũt: ſed pro uero quod proximum putabant, amplexi ſunt dies ſcilicet trecentos ſexagintaquinque. Igitur quum tanta inter uiros doctiſſimos fuerit diſſenſio, quid mirũ ſi anni ciuiles, quos diuerſæ ciuitates rudes etiam tum ſibi quæq; ſtatuebant, & tam inter ſe diſcrepent, quàm cum illo naturali non congruant? Et in Aegypto quidem antiquiſſimum ferunt annum bime

strem fuisse. Post deinde à Pisone rege quadrimestrem factum: nouissimè annum ad tredecim menses & dies quinque produxisse. Itē in Achaia Arcades trimestrem annum primum habuisse dicuntur, & ob id Proselenas appellant, non ut quidam putant, quod ante sint nati, quàm lunæ astrum coelo esset, sed quod quem prius habuerint annum, is in Græcia ad lunæ cursum cōstitueretur. Sunt qui tradant hūc trimestrē Horon instituisse, eoq; uer, æstatem, autumnum, hyemem, ὥρους. & annum dici, & græcos annales ὥρους. Eorum scriptores horographos. Itaq; quatuor annorum circuitu in modum pentaëteris annum magnum dicebant. Cares autem & Acarnanes semestres habuerunt annos inter se dissimiles, quibus alternis dies augescerent aut senescerent, eosq; cunctos ueluti trieterida annum magnum. Sed ut hos annos omittam, caligine iam profundæ uetustatis obductos, in his quoq; qui sunt recentiores memoria, & ad cursum lunæ uel solis instituti, quanta sit uarietas, facile est cognoscere, siquis uel in unius Italiæ gentibus, ne dicam peregrinis uelit inquirere. Nam ut aliū Ferentini, aliū Lauinij, item Albani, uel Romani habuerunt annū, ita quoq; & aliæ gentes. Omnibus tamen fuit propositū suos ciuiles annos uariè inter calandis mensibus, ad unū uerū illum naturalemq; corrigere. De quibus omnibus differere quoniam longum est, ad Romanorum annum transibimus.

De annis Romanis. Cap. XVII.

ANnum uertentem Romæ Licinius quidem Macer, & postea Fenestella statim ab initio

uiginti

uigintiduorum mensium scripserunt: sed magis Iunio Graccho, & Fuluio, & Varroni, & Suetonio alijsq; credendum est, qui decem mensium putauerunt fuisse, ut tunc Albanis erat, orti unde Romani, in decem menses dies trecentos quatuor in hoc modo habebant. Martius trigintaunũ, Aprilis triginta. Maius trigintaunum. Iunius triginta. Quintilis trigintaunũ. Sextilis & September tricenos. October trigintaunũ. Nouember & December triginta: quorũ quatuor maiores Pleni, cæteri sex Caui uocabant. Postea siue à Numa, ut ait Fuluius, siue ut Iunius à Tarquinio, xij. facti sunt menses, et dies trecenti quinquagintaquinque: quamuis luna duodecim suis mensibus trecentos quinquaginta quatuor dies uidebatur explere. Sed ut dies unus abundaret, aut per imprudentiã accidit, aut, quod magis credo, ea superstitione qua impar numerus plenus & magis faustus habebatur. Certe ad annum priorem unus & quiuquaginta dies accesserunt, qui quia menses duos non implerent, sex his cauis mensibus sunt singuli detracti, & ad eos additi, factiq; dies quinquagintaseptẽ, & ex his duo menses Ianuarius undetriginta dierũ, Februarius duodetriginta. Atq; omnes menses pleni & impari dierum numero esse cœperunt, excepto Februario, qui solus cauus & ob hoc cæteris infaustior est habitus. Deniq; quum intercalarium mensem uiginti annorum uel uiginti trium dierũ alternis annis addi placuisset, ut ciuilis annus ad naturalem exæquaretur, in mense potissimũ Februario inter Terminalia & Regifugium intercalatum est. Idq;

Pleni menses et caui.

diu factum priusquam sentiretur annos ciuiles aliquanto naturalibus esse maiores: quod delictum ut corrigeretur, Pontificibus datum est negociũ, eorumq́ arbitrio intercalandi ratio permissa. Sed horum plerique ob odium, uel quo quis magistratu citius abiret, diutiusq́ fungeretur, aut publici redemptores anni magnitudine in lucro damno'ue essent, plus minus'ue ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendũ mandatam uitiose deprauarũt. Adeò aberratum est, ut C. Cæsar Pontifex maximus suo tertio & M. Aemilij Lepidi Consulatu, quo retro delictũ corrigeret, duos menses intercalares dierũ sexagintaocto in mensem Nouembrẽ et Decembrem interponeret, quum iam mense Februario dies tres & uiginti intercalasset, faceretq́ eum annum dierum quadringentorũ quadragintaquinque, simul prouidens in futurum ne iterum erraretur: Nam intercalario mense sublato, annũ ciuilem ad solis cursum formauit: itaq́ diebus trecentis quinquagintaquinque addidit decem, quos per septẽ menses, qui dies undetricenos habebãt, ita distribuit, ut Ianuario & Sextili & Decembri bini accederent, cæteris singuli, eosq́ dies extremis partibus mensium apposuit, scilicet regiones sui cuiusq́ mensis à loco summo uerterentur. Quapropter nunc quũ in septem mensibus dies singuli & triceni sint, quatuor tamen illi ita primitus instituti eo dinoscũtur, quod nonas habent septimanas: cæteri omẽs reliqui quintanas. Præterea pro quadrante diei, qui annum uerum suppleturus uidebatur instituit, ut peracto quadriennij circuitu dies

Redemptores.

dies unus, ubi mensis quondam solebat, post terminalia intercalaretur, quod nunc bissextum uocatur. Ex hoc anno ita à Iulio Cæsare ordinato, cæteri ad nostrã memoriã Iuliani appellantur, eiq; consurgũt ex IIII Cæsaris Consulatu, qui etiam si nõ optimi, soli tamen ad annum naturæ aptati sunt. Nam & priores alij etiam qui decem menses fuerunt nec Romæ modo uel per Italiam, sed & apud gentes omnes quantum ijdem postea fuere correcti. Itaq; quum de aliquo annorum numero hic dicetur, non alios par erit quàm naturales accipere: & si origo mundi in hominũ notitiam uenisset, inde exordium sumeremus. Nunc uero id interuallum temporis tractabo, quod historicon Varro appellat: hic enim tria discrimina temporum esse tradit. Primum ab hominũ principio ad cataclysmũ priorem. Secundũ ad Olympiadem primã: quod quia in eo multa fabulosa referũtur, Mythicon nominatur. Tertiũ à prima Olympiade ad nos, quod dicitur historicon, quia res eo gestę ueris historijs continentur. Primum tempus siue habuit initium, seu semper fuit: certè quot annorum sit, non potest comprehendi. Secundũ non planè quidem scitur, sed tamen ad mille circiter & DC annos esse creditur à priore scilicet cataclysmo, quẽ dicunt Ogygis ad Inachi regnum annis circiter CCCC. Hinc ad Olympiadem primã paulò plus CCCC, quos solos quamuis Mythici temporis postremos, tamen quia à memoria scriptorũ proximos, quidam certius definire uoluere: & quod Sosibius scripsit esse CCCXCV. Eratosthenes autem septem &

Iuliani.

Tempus historicon

Mythicõ.

Cataclysmos Ogygis.

CCCC. Timæus CCCCXVII. Orethes C LXIIII. Et præterea multi diuerse, quorum etiam ipsa dissensio incertū esse declarat. De tertio autē tempore fuit aliqua inter autores dissensio in sex se ptem'ue tantūmodo annis uersata. Sed hoc quodcunq; caliginis Varro discussit, et pro cætera sua sagacitate nunc diuersarū ciuitatū conferens tempora, nūc defectus eorumq; interualla retro dinumerans eruit uerū, lucemq; ostendit, per quam numerus certus non annorum modo, sed & dierum per spici possit: secundum quam rationem, nisi fallor, hic annus, cuius uelut index & titulus quidam est Vlpij & Pontiani Consulatus, ab Olympiade prima M est & XIIII, ex diebus duntaxat æstiuis, quibus Agon Olympicus celebratur: à Roma autem condita, DCCCCXCI, & quidem ex Palilibus, unde urbis anni numerantur. Eorum uero annorum quibus Iulianis nomen est, CCLXXXIII, sed ex die kal. Ian. unde Iulius Cæsar anni à se constituti fecit principium. At eorū qui uocantur anni Augustani, CCLXV pridie kal. Ian. quamuis & ante diem decimumsextū kal. Februarij, Iulius Cæsar Diui filius Imperator Augustus sententia Munatij Planci à Senatu cęterisq; ciuibus appellatus est, se septimū, et M. Vipsano Agrippa Coss. Sed Aegyptij quod biennio ante in potestatem ditionemq; Po. Ro. uenerunt, habent Augustorum annum CCLVIII. Nam ut à nostris, ita ab Aegyptijs quidam anni in literas relati sunt, ut quos Nabonnagarij nominant, quod à primo imperij eius anno consurgūt, quorū hic noningentesimus octo

Augustani

gesimus

gesimus sextus est. Itẽ Philippi, qui ab excessu Alexandri Magni numerantur, & adhucusq; perducti annos quingentos sexagintaduos consummãt. Sed horum initia semper à die primo mensis eius sumuntur, cui apud Aegyptios nomen est Thoth, quoque hic anno fuit ante diem septimũ kal. Iulij, quum abhinc annos centum Vlpio & Brutio praesente Romæ Coss. ijdem dies fuerunt ante diem duodecimũ kal. Augusti, quo tempore solet canicula in Aegypto facere exortũ. Quare scire etiã licet anni illius magni, qui ut supra dictũ est, solaris & canicularis, & trieteris uocat, nũc agi uertentẽ annum centesimũ. Initia aũt istorum annorũ propterea notaui, ne quis nesciat uoluntates, quæ non minus diuersæ sint, quàm opiniones philosophorum. Iccirco alijs à nouo sole, id est à brumali, ab æstiuo solstitio, plerisq; ab æquinoctio uerno, partim ab autumnali æquinoctio, quibusdam ab ortu uergiliarũ, nõnullis ab earum occasu, multis à canis exortu incipere annus naturalis uidetur.

De Mensibus. Cap. XVIII.

Mensium duo genera: nam alij sunt Naturales, alij Ciuiles. Naturaliũ species duæ, quod partim solis partim lunę esse dicuntur. Secundũ solem fit mensis, dum sol unumquodq; in zodiaco orbe signum percurrit. Lunaris autem, est temporis quoddam spacium à noua luna. Ciuiles menses sunt numeri quidam dierum, quos unaquæq; ciuitas suo instituto obseruat, ut nũc Roma à kal. in kal. Naturales & antiquiores & omniũ gentiũ cõmunes sunt. Ciui-

Ciuiles menses.

Naturales

les & posterius instituti, ad unamquanque pertinēt ciuitatem, qui sunt cœlestes seu solis seu lunæ, nec perq̀ue inter se pares sunt, nec dies habent totos. Quippe sol in Aquario moratr̄ circiter undetrigin ta: in Pisce ferè triginta: in Ariete unum & trigin-ta: in Geminis propè trigintaduos, & sic in cæte-ris inæquabiliter: sed usqueadeò non totos dies in singulis, ut annum suum, id est trecentos quinqua gintaquinque, et portionē nescio quā adhuc astro logis inexploratā, in duodecim suas diuidat men-ses. Luna aūt singulos suos menses conficit diebus xxix. circiter et dimidiato. Sed & hos inter se dis-pares, alios longiores, alios breuiores. At ciuitatū menses uel magis numero dierū inter se discrepāt, sed dies ubiq; habent totos. Apud Albanos Mar-tius est sex et triginta: Maius xij. Sextilis duode-triginta: September sedecim: Tusculanorū Quin tilis dies habet trigintasex: October trigintaduos Idem October apud Aricinos trigintanouem. Mi nime uidentur errasse, qui ad lunæ cursum menses ciuiles accōmodarunt, ut in Græcia pleraq;, apud quos alterni menses ad triginta dies sunt facti. Ma iores quoq; nostri idem sunt æmulati, quum annū dierum CCCLX habent. Sed diuus Iulius quum uideret hac ratione nec ad lunam menses, ut opor-tebat, neq; annum ad solem cōuenire, maluit annū corrigere. Et sic etiam menses uel cum ueris illis so laribus etsi non singuli tamen uniuersi ad anni finē necessariò concurrent. Nomina decem mensibus antiquis Romulum fecisse, Fuluius & Iunius auto res sunt: et quidem duos primos à parentibus suis nominasse,

nominasse. Martium à Marte patre. Aprilem ab Aphrodite Venere, unde maiores eius oriundi dicebantur. Proximos duos à populo. Maium à maioribus natu. Iunium à iunioribus: cæteros ab ordine quo singuli erant. Quintilem usque ad Decembrem perinde à numero. Varro autem Romanos à Latinis nomina mensiũ accepisse arbitratur: autores eorum antiquiores fuisse quàm urbem, satis ἀρχὴ docet. Itaq; Martiũ mensem à Marte quidem nominatum credit, non quia Romuli fuerit pater, sed quod gens Latina bellicosa. Aprilem autẽ nõ ab Aphrodite, sed ab aperiendo, q̃d tunc ferè cuncta gignantur, & nascendi claustra aperiat natura. Maium uero non à maioribus, sed à Maia nomen accepisse, quod eo mense tam Romæ quàm antea in Latio, res diuina Maiæ fit & Mercurio. Iunium quoq; à Iunone potius quàm iunioribus, quod illo mense maximi Iunoni habentur honores. Quintilem, quod loco apud Latinos fuerit quinto. Item Sextilem ac deinceps ad Decembrem numeris appellatos. Cæterum Ianuariũ & Februariũ, postea quidem additos, sed nominibus iam ex Latio sumptis, Ianuarium à Iano, cui attributus, nomen traxisse: Februariũ à februo. Est februũ quicquid expiat purgatq;: & februamenta, purgamenta. Item februare purgare, & purum facere. Februum aũt non idem usquequaq; dicitur: nam aliter in aliĳs sacris februatur, hoc est purgatur. In hoc aũt mense lupercalibus quũ Roma lustratur, salem calidũ ferunt, quod februũ appellant. Vnde dies lupercalium propriè februatus: & ab eo porrò mensis Fe-

Mẽses unde dicti.

bruarius uocitatus. Ex his duodecim mensibus, duorum tantum nomina mutata: nam Quintilis Iulius cognominatus est, C. Cæsare V, & M. Antonio Coss. anno Iuliano secundo. Qui autem Sextilis fuerat, C. Marco Censorino, C. Asinio Gallo Coss. in Augusti honorẽ dictus est Augustus, * anno Augustio XX, que nomina etiam nunc ad hanc permanent memoriã. Postea uero multi principes nomina quædam mensiũ mutauere, suis nuncupando nominibus: quod aut ipsi postmodũ mutauerunt, aut post obitum eorum illa nomina pristina suis reddita mensibus.

De diebus. Cap. XIX.

Superest pauca de die dicere, q ut mensis aut annus partim Naturalis, partim Ciuilis est. Naturalis dies est tempus ab exoriente sole ad solis occasum: cuius contrarium tempus est nox, ab occasu solis ad ortum. Ciuilis autẽ dies uocatur tempus, quod fit uno cœli circumactu, quo dies uerus & nox continetur: ut quum dicimus aliquem dies triginta tantum uixisse. Relinquitur enim etiam noctes intelligere. Huiusmodi dies ab astrologis & ciuitatibus quatuor modis definit. Babylonij quidem à Solis exortu ad exortũ eiusdem astri diem statuerũt. At in Vmbria pleriq; à meridie ad meridiem. Athenienses aũt ab occasu solis ad occasum. Cęterũ Romani à media nocte ad mediã noctẽ diem esse existimauerũt. Indicio sunt sacra publica, & auspicia etiam magistratuũ: quorum si quid ante mediũ noctis est actum, diei qui præterijt adscribit. Si quid autem

Naturalis dies.

Ciuilis.

autem post mediam noctem & ante lucem factum est, eo die gestũ dicetur, qui eam sequitur noctem. In his horis quatuor & uiginti qui nascuntur, eundem diem habent natalem. In horas duodecim diuisum esse diem, noctemq́ in totidem uulgo notũ est. Sed hoc credo Romæ post reperta solaria obseruatũ. Quorum antiquissimũ quod fuerit, inuentu difficile est. Alij enim apud ædem Quirini primum statutum dicunt. Alij in Capitolio: nonnulli ad ædem Dianæ in Auentino. Illud satis constat, nullum in foro prius fuisse, quàm id quod M. Valerius ex Sicilia aduectũ ad rostra in columna posuit. Quod quum à climate Siciliæ descriptum ad horas, Romæ non conueniret, L. Philippus Censor aliud constituit: deinde aliquanto post P. Cornelius Nasica Censor ex aqua fecit horariũ, quod & ipsum ex cõsuetudine noscendi à sole horas, horarium cœptum uocari. Horarium nomen non minus annos CCC Romæ ignoratum esse credibile est. Nam XII Tabulis nusquam nominatas horas inuenies, ut in alijs postea legimus: Sed ante meridiem, eo uidelicet quod partes diei bifariam tum diuisi, meridies discernebat. Alij diem quadripertito, sed & noctem similiter diuidebant. Id similitudo testatur militaris, ubi dicitur: uigilia prima: item secunda, & tertia, & quarta. Sunt etiam plura noctis & diei tempora subnotata, proprijsq́ discreta nominibus, quę apud ueteres Poëtas passim scripta inueniuntur: ea omnia ordine suo exponã. Incipio à nocte media, quod tempus principiũ & postremum est diei Romani. Tempus quod huic

Ex aqua horariũ.

Diem anti qui quomodo fuerint partiti.

proximum est, uocatur de media nocte. Sequitur Gallicinium, quum galli canere incipiunt: deinde Conticinium, quum conticuere. Tunc ante lucem, & sic Diluculum uocatur. Mane, quũ lux uidetur solis: post hoc ad meridiẽ: tunc meridies quod est meridiei nomen. Inde de meridie: hinc tempestas suprema: quamuis plurimi supremam post occasum solis esse existimant, quia est in XII Tabulis scriptũ sic: Solis occasus suprema tempestas esto. Sed postea M.† Plectorius Trib. ple. scitum tulit, in quo scriptum est: Prætor urbanus qui nunc est, quiq́ posthac fuerit, duos lictores apud se habeto. Isq́ supremum ad solis occasum ius inter ciues dicito. Post supremã dicitur Vesper, ante ortum scilicet eius stellæ, quam Plautus uesperuginem, Ennius uesperum, Virgilius hesperon appellant. Inde porrò Crepusculum, sic fortasse appellatum, quod res incertæ creperę dicũtur: idq́ tempus noctis sit an diei, incertũ est. Post id sequitur tempus quod dicimus, Luminibus accensis: antiqui Primà face dicebant. Deinde Concubium, quũ itum est cubitũ. Exinde Intempesta, id est multa nox: quia nihil agi tempestiuum tunc quum ad mediam noctem dicitur: & sic media nox.

† Lectorius.

De naturali institutione. Cap. XX.

INitia rerum eadem elementa & principia dicũtur: ea Stoici credunt tenorem atq́ materiam. Tenorem qui rarescente materia à medio tendat ad summũ, eadem concrescente rursus à summo referatur ad medium. Thales Milesius aquã principiũ omniũ

rerum

rerũ dixit. Et alias opiniones ſupra retuli. Stoico-rum opinio probanda, qui quum arte compoſitum mundi opus conſiderarent, introduxerunt naturã prouidam ac ſapientem, quam ordo impermutabilis oſtenderet, induſtria factum pronuntiauerunt, ſiue perpetuus ſiue longæuus eſt mũdus, et in flammas abit, & uiciſſim ex flammis renouatur ac reſtituitur: durantibus tamen principijs. Nec recidere ad nihil uideri poteſt, quod in ſe deficit, in ſe regignitur. Et conſtat quidem quatuor elementis: terra, aqua, igne, aëre: cuius principalem ſolem quidam putant, ut Cleanthes: at Chriſippus, æthera, cuius motu perenni ſubiecta tenentur.

De Formis. Cap. XXI.

Nota eſt, cuius pars nulla eſt. Linea, longitudo ſine latitudine. Lineæ autem finis, notæ. Recta linea eſt, quæ ſuper ſe poſitis notis æquabiliter poſita & ſummiſſa eſt, quod longitudinem tantum habet: ſummitatis finis lineæ ſuper plana, quæ dicitur ἐπίπεδος. Summitas eſt, quæ ſuper ſe poſitis rectis lineis æquabiliter poſita eſt. Planus angulus, eſt in planitie duarum linearum, non è regione poſitarum, ad unum ſignum cõtingens curuatio. Hæ lineæ quæ angulum cõtinent, quum rectæ ſint, is angulus rectis lineis contineri dicitur. Si recta linea ſupra rectam lineam ſtans continuos angulos inter ſe pares facit, tum uterqꝫ ex paribus angulis rectus dicitur, & ea linea græce κάθετος, latine normalis dicĩ. Rectus angulus eſt modicus & ſibi cõgruens: hebes maior recto: acutus minor.

De Figuris. Cap. XXII.

FIgura est, quæ aliquo fine aut aliquibus finibus continetur. Circulus est figura plana una linea cōprehensa, intra quem mediæ omnes lineæ inter se pares sint. Centron est nota circuli medij. Diametros est recta linea per centron immissa, & in utranq; partē secans circulum. Hemicyclum est circuli dimidiū. Euthygrammæ formæ sunt, quæ rectis lineis continentur. Trigonum, trilaterū. Tetragonū, quod quatuor. Multilaterum, quod pluribus. Triangulum æquilaterum, quod paribus trinis lateribus. Isosceles, quod duo tantum latera paria habet. Scalenon, quod tria latera inæqualia habet. Orthogonum, quod habet omnes rectos angulos quadrilaterum formarū. Quadratum est, quod omnia quatuor latera habet & angulos rectos. Heteromeces quadrangulū nec latera paria habet, nec angulos rectos, similes scutellę, cuius cōtraria latera & contrarij anguli inter se pares sunt. Sed quadrilaterū omne quod rectis angulis est, trapezia, cætera nominantur parallelæ lineæ, quæ in eadem planitie positæ nunquam inter se contingunt.

De Postulatis. Cap. XXIII.

POstulata Geometrarum sunt quinque, ut liceat ab omni signo ad omnem rectam lineam ducere, & omnē finitam rectam lineā è regione eijcere, et omni modo signo ex interuallo circulum scribere, & omnes rectis angulos minores, duos rectis pares esse: et si lineā recta linea immissa interiores angulos

los minores duos rectis pares fecerit, eiectas lineas concurrere. Si paribus paria adiecta fuerint, omnia paria erunt: & si paribus paria dempta, reliqua erūt paria: et quæ eisdem paria sunt, & inter se paria sunt.

De Musica. Cap. XXIIII.

PRior est Musica inuētione Metrica: quū sint enim antiquissimi Poëtarum, Homerus, Hesiodus, Pisander. Hos secuti elegiarij Callinus, Mimnermus, Euhemerus: mox Archilochus, et Simonides, trimetrum iambicum choricum, catalecticum, tetrametron, composuere. Archilochus etiam commata uersibus applicando uariauit. Eupolis per plurimas species secuit. Alcman numeros etiā minuit in carmen: hinc poëticæ melicæ ἀπολύς. Illa etiā Argiua minutiores edidit numeros. Quæ species quum iam displiceret, & integra breuior diceretur, magnitudine Pindari asserta est, qui etiā libros innumeris modis edidit. Hos secuti Musici Timotheus, & Pondos, & Hypericles, & Follis, & clariss. tum peritia tum eloquentia Aristoxenus modulati protinum cantus. Ne tamen non putes antiquiores cantus esse numeris, sed rusticos & incōditos, post quos poëtica ualuit, ueluti legitima Musica licētior magisq; modulata.

De Rhythmo. Cap. XXV.

RHythmus creditur dictus à Rhythmonio Orphei filio & Idmoneæ nymphæ Maricæ, ut tradit Niceratus libro quē composuit de Musico fratre Rhythmonij: tradit Hymenæ Varrithonis autem & Chloridis Thiresiæ filiæ Pendemenū & Peridemen, qui

primus cecinerit res gestas heroum musicis cantibus. Musica est peritia faciendorũ & canendorum modorũ. Eius partes Harmonica, Rhythmica, Crusmatica. Crusmata pulsus decori siue carminis uocantur. Harmonia est consonãtia organica. Rhythmos græcę modus dicitur latine. Nominatur uersus ab eo quod fluat, seq; ipse circũeat. Modus autẽ est lex quædã & ordo uocaliũ, interuallũ & differentia, uelut Aristoxenus definit, nõ utcunque compositum uocalium temporum interuallũ. Carmen est modus uocibus iunctus: cuius discrimina cantus, modus, motus. Tempus est syllabæ spacium, huius elementũ. Breuis syllabæ diuisio: breuis alia, longa alia, & neutrius ratio est.

De modulatione & carminum speciebus. Cap. XXVI.

MOdulatio est modorũ prudens dispositio. Eius tres species, τόνος, χρῶμα, ἁρμονία. Species carminũ tredecim. Ex quibus primum sunt: Dorium, Phrygium Lydium. His accesserunt grauissimũ hypodoriũ: mox duo hypophrygij grauior & acutior: deinde Dorius medius: tum Phrygius grauis & alter excelsus: totidẽ Lydij grauis & acutus: tum Mesolydij pari diuersitate. Postremus hypermesolydius acutissimus. Organum quondã habuit tres intensiones: Grauem, mediam, & acutam. Inde Musæ quoque tres olim æstimatæ: Hypate, Mese, Nete. Nunc in ampliore numero soni considerantur, ut sit Proslambanomenas hypate hypaton. Deinde paripate hypaton. Deinde lycanos hypaton. Deinde

inde hypate. Deinde hypates meson. Deinde triscelmen menõ, netesmõ menon, paramese diezeumenon, paranete diegeumenõ, trite hyperboleõ. Quas animaduertisse cum resonantia suauitatis in arcu sororis Apollinem tradunt, & intendisse potius, dytarantiũ notasse quod si astrictiora fila neruorum in acumen excitarentur, grauibus responderent remissa: inde fecisse tres primos, de quibus supra dictum est. Hanc excepisse intensionem Linon, quem quidã Apollinis filium tradunt, & nymphæ Paramesæ Chrysthenidi reliquisse, ab ea adiunctum modũ, qui synenmenas dicitur. Hunc numerum auxisse Terpandrũ adiectione diezeumeno, qui primus à grauibus in acumen auertit. Deinde Timotheus addidit duos: Parameson, & hyperboleon. Initium modi diesis: dimidium semitonium: totum tonos. Toni duo & dimidius Diatessaron nominatur: tres & dimidius Diapente: sex Diapason. Hæc Musicæ summa sunt.

De metris & pedibus. Cap. XXVII.

Metrum græcæ, latine numerus uocañ. Numerus est æqualium pedum legitima ordinatio: Huius Arsis & Thesis partes sunt. Pedum syllaba, elementa numerorum: modorum elementa, spacia syllabarũ ac tempora. Pedes componuntur ex syllabis ut minimum binis, ut plurimũ ternis, unde proueniunt dissyllabi quatuor, trissyllabi octo, plures quàm duodecim esse non possunt. Pyrrhichius ex duabus breuibus, cuius exemplũ, Deus. Chorius ex longa & breui, ut Roma. Iambus ex breui & lon-

Pyrrhichius. Chorius. Iambus.

u

ga, ut salus. Spondæus ex duabus longis, ut uates. Duo igitur quantitate cõtrarij, Spondæus, & Pyrrhichius, duorum alter, alter quatuor temporum. Iambus & Chorius triũ. Ita non plures quàm quatuor pedes dissyllabi sunt, nec esse possunt. Ternarum syllabarum primus est Dactylus, qui constat ex longa & duabus breuibus, cuius exemplũ Aeolus. Huic contrarius Anapæstus, ex duabus breuibus & longa, ut pietas. Amphibrachus ex breui & longa & breui, cuius exemplum auarus. Brachisyllabus ex tribus breuibus, cuius exemplũ Cicero. Et contrarius Molossus, ex tribus longis, cuius exemplum Mecœnas. Item tres quinum temporũ. Bacchius ex duabus longis & breui, cuius exemplũ Latona. Huic ordini aduersus Palimbacchius, ex breui & duabus longis, ut Aquinas. Creticus & Amphimacrus ex longa, breui, et longa, ut sanitas: duobus à quantitate cõtrarijs Brachisyllabo & Molosso. Quorũ alter triũ temporũ, alter sex: ordine sex in quaternis, tres in quinis temporibus.

Dactylus *Anapæstus.* *Amphibrachus* *Brachisyllabus.* *Molossus* *Bacchius* *Palimbacchius.* *Creticus* *Amphimacrus.*

De legitimis numeris. Cap. XXVIII.

Primus est & legitimus maxime numerus hexameter heroicus: huius pedes & dactyli sunt aut spondæi: raro & in uersu extremo reperiet trochæus: huius exemplum: Auia Pieridum peragro loca nullius ante. Totus iste dactylus fuit, & habuit summum trochæũ. Sed mixtus ex spondæis hic erit: Italiam fato profugus Lauinaq; uenit. Totus ex spondæis: Ciues Romani tunc facti sunt Campani. Hoc genus numeri paucissimarum duodecim

syllaba

syllabarum: plurimarum octodecim: tempora recipit uigintiquatuor. Interea uigintitria: sedibus tribus tantum conficit formas: excipit uigintiduas, quas enumerare festinantibus longum est. Pentameter elegiacus habet exemplum: Dum meus assiduo luceat igne focus. recipit dactylum, spondæũ, anapæstos duos in fine uersus, aliquando brachisyllabos. Fit syllabarum paucissimarũ duodecim, plurimarum tredecim. Tertium pedem spondæũ semper habet: quartum et quintum aliquando brachisyllabum. Trimetros iambicus latine senarius dicitur, cuius exemplum: Phaselus ille quem uidetis hospites, duodecim syllabarum est. Recipit aliquando præter ceteros iambum, extremo pyrrhichion. Trimetros tragicus: Pro ueste pinnis membra textis contegit. Et: Aquilonis stridor gelidas molitur niues. Recipit in parte prima scansionis spondæum, & alio loco dactylon & anapæstum, & pro iambo chorium & tribrachon. Fit syllabarum paucissimarum duodecim, plurimarũ septendecim, recipit tempora plurima undeuiginti, paucissima tredecim. Comicus trimetros solet magis in breues minui. Trimetros hipponacticus pedẽ nouissimum assumens spondæum uel chorium, talis est: Calentibusq; lympha fontibus. semp eosdẽ pedes, quos reliqui trimetri, præter nouissimũ recipit. Et tetrametros, qui latine quadratus uocatͬ, choriacus talis est: Tela famuli tela propere, sequitur me Thoas. recipit eosdem pedes, peruenit ad septem & semipedem: summum pedem petit aut creticũ, aut dactylum. Octonarius iambus: Pro-

Senarius

Quadratus.

inde & abs te regimen Argos, Dum est potestas consulendi. Septenarius: Hæc bellicosus, cui mater pater'ue Minerua. Constat ex pedibus iisdem Ionicus septenarij: Ibant mala eluere uenena corona. Ionicus maior est ille: Ictus retrocedit innate sinus. Habet uitium in tertia syllaba minor: Metuentis patriæ uerbera linguæ. Præcipiũt inserere maxime pyrrhichium & spondæum, solent diuisi syllabis longis plurium syllabarum pedes admittere. Aristophanius anapæstus: Axena ponti per freta Colchos deniq; delatus adhæsi. Recipit pedes quaternorum temporũ, omneis implet pedes præter semipedem. Anapæsto octonarius: Ore beato lumine uolitãs, qui per cœlũ candidus equitas. Recipit eosdem pedes, præter semipedem Aristobolius: Quædam terribilis tua pectora turbat terrifico sonitu intulit. Is circuitus magis quàm uersus est. Dactylum crebrum habet, rarũ spondæũ. Penè duodenarium: Quis meum nominãs nomen excitet quemuis tumultum inuocans incolarum fidem. Et hic circuitus magis quàm uersus est. huic suberunt denarius: Qui repens semipulsus onere graui fores strepitu terrent. Recipiunt pedes creticos, chorios, spondios, iambos, brachisyllabos, anapæstos. Vndecim syllabarũ Phalæcius: Passer delitiæ meæ puellæ. recipit pedes, spondæum, dactylum, creticum, palimbacchium. Angelicus numeros & syllabam coarctat hexametro, ut: Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia seruas. Anacreontius: Miseri inuidi uiuimus scientes. recipit pyrrhichium, chorium, spondæum, brachisyllabũ anapæ

anapæſtum. Primus ſemper eſt pyrrhichius: Numerus Saturnius magnum numerum Triumphat hoſtibus deuictis. Sunt qui hūc Ariſtolochion uocant, recipit pedem ſpondæū, iambū, pyrrhichiū, chorium, dactylum, brachiſyllabum, anapæſtum. Priapeius: Hunc lucū tibi dedico conſecroq; Priape. Tertiū pedem pro dactylo creticū habet, alioqui hexametrō eſſet. De numeris ſimplicibus. Pyrrhichius: Rapite, agite, ruite, celeripedes pedes. Contrarius eſt huic & duodecaſyllabum ſpondaicon: Olli crateribus ſex auratis hauſerunt. Dactylicus: Puluerulenta putrē ſonitu quatit ungula campum. Amphibrachius non facit numerum. Anapæſtus: Agilis ſonipes rapitur, celeri ſonitu crepitans. Creticus: Horridi tranſeunt ad pedes ex equis. Palimbacchius: Amicos ad hanc rem ſi uoles aduoca. Bacchius non facit numerū. Moloſſus idem eſt qui ſpondaicon. Nunc quemadmodum à principali heroico plures numeri transfigurantur oſtendam: ac primus trimetrus fit heroicus. Spondaicon: Ciues Romani tunc facti ſunt Campani. Syllabam unam quæ eſt extrema, ex longa cōtrahe: ut, Ciues Romani facti Appuli. Et eſſe cœpit trimetron, elegiacum tranſibit: Bella per Aemathios. Rurſus ad pentametros, ut componam heroicos ſumo partem poſteriorem: Dum meus aſſiduo luceat igne focus. & cōpono: Luceat igne focus Troiæ qui primus ab oris. Phalæciū numerū qui eſt: Altis flumina uallibus tumeſcunt. inſertis uerbis facio heroicum: Altis flumina prodita uallibus inde tumeſcunt. Ionicus eſt: Metuentis patrię

uerbera linguæ. Adijciã trinas uerbis singulis syllabas: Nunc metuentis nunc patriæ nunc uerbera linguæ. Verto Italiã fato profugus Lauinaq; coepit. Aristophanius fit heroico: Arma uirumq; cano Troiæ qui primus ab oris. Numerum angelicum syllaba breuiata esse monstraui heroicum. Item Priapeium, si syllabam surripias fieri heroicum.

NATALIS CENSORINI FINIS.

BASILEAE PER IO. BEBEL.
MENSE AVGVSTO AN.
M. D. XXVIII.